

DE ALI



J. I G N A T I I P Ö C K H

Sempronio - Hungari

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA

DE

DIEBUS CRITICIS.

QUAM

Annunte Inclyta

FACULTATE MEDICA

IN CELEBERRIMA AC REGIA UNIVERSITATE

B U D E N S I

Pro summis in Medicina honoribus, Privilegiisque Doctoralibus per Regiam Universitatem Budensem conferri solitis legitime impetrandis


PUBLICÆ ERUDITORUM DISQUISITIONI

submitta.

DISPUTABITUR IN UNIVERSITATIS

PALATIO MAJORE

DIE MENSIS JUNII M. D. CC. LXXXV



Typis Catharinæ Landerer, Viduæ

Hæc, ut ego arbitror, veteres rerum ma-
gis eventis emoniti, quam ratione
ducti, probaverunt.

- Cicero de Divinat. I. 3.

Quarum quidem rerum eventa ma-
gis arbitror, quam causas queri oportere. Ibidem I. 6.

MAGNIFICO SPECTABILIA

ET

EXPERTISSIMO

VIRO

GABRIELI DE VEZA

SAC. CÆS. REG. APOST. MAJEST.

CONSILIARIO

MED. DOCT. FACULTATIS MED. BUDENS.

DIRECTORI ET PRÆSIDI

PRÆSIDIUM BUDENS. MILIT. NEC NON IN-

CLYT. COMIT. PEST. BILIS. SOLT.

ART. UNIT.

PHYSICO ORDINARIO

REGII SENAT. UNIVERSIT. ASSESSORI

ET

CONSILIARIO.

VIR SPECTABILIS?

Singularis ea sollicitudo, Paternus fere amor, Beneficiorumque genera, quibus me studiorum tempore affecti-
lli, tanta sunt, ut mihi eorum recor-
datio nullo non tempore gratissima
dulcissimaque accidat; probe enim
recordor, & recordabor, dum vivam,
quoties fluctuantem animum meum
prudentissimis firmaveris consiliis.
quoties oberrans in vasto adeo Me-
dicinae Campo ingenium meum pro sin-
gulari Tua humanitate, & candore
in eam reduxeris viam, qua rectissima
itur ad veritatem. An non igitur
fors mea felicissima vel ideo existiman-
da est, quod mihi vix non quotidie
Tua praesentia frui, Te consulere,
Tuisve sapere consiliis liceat! Jam
pridem officium pietasve aliquod gra-
titudinis monumentum a me postu-
lassent, sed cum hucusque opportuna
defuisset occasio, id quod tacite mul-
toties exoptaveram, publice praestan-
di, hanc veluti sponte sese offerentem
non sine insigni voluptate arripio, at-
que Magnifico Nomini Tuo leve hoc

conamen inscribere consecrareque au-
deo hinc Tibi Dissertationem (hanc)
De Diebus Criticis Inauguralem,
quamvis exilem, tamquam volunta-
tis & conatus testem, offerre non dubi-
tans ut pro ea, quæ Tibi inest, huma-
nitate sis accepturus, quod ut facias,
Te spectabilis Domine oro atque obse-
cro, & dum vivam de voto gratiæ
specimine in me collato lætabor. Nil
magis habeo in votis, nihilque mihi
erit sanctius, quam ut omni qua pos-
sum opera studeam, ne summis Tuis Be-
neficiis sim indignus, quæ cum tanta
sint & majora, quam ut compensandis
sufficiam, aut unquam suffecero, gra-
tum solummodo devotumque animum
Tibi spondere, ac palam testari hac pa-
gina & debeo, & volo, simulque votis o-
mnibus precor, ut Te Divinum Nu-
men, & Budensis Reipublicæ Litera-
riæ ornamento & studentium emolu-
mento diutissime incolumen sospitemque
servet, quod reliquum est, ut in poste-
rum etiam Gratia Tuæ me commenda-
tum habeas, devotissima mente abs Te
peto atque contendo.

Clientum Infimus

J. IGNATIUS POLCKH.



DIES CRITICI.

CAPUT I.

DEFINITIO.

§. I.



Medicum, inquit HIPPOCRATES (a), qui de
,, agrorum salute recte
,, conjectare volet, ani-
,, madvertere oportet,
,, ut omnes quidem dies in contem-
,, plationem adhibeat,,: idque non
aliunde, nisi quod certis morborum die-
bus insignes contingant eorumdem mu-

(a) De octimestri partu FOES. T. I. p. 257.

tationes, quæ ad vitam vel mortem ægrotantis, & ad recuperandam sanitatem plurimum faciunt. Sunt autem id genus mutationes nil aliud, quam totidem quasi pugnæ morbum inter ac vires vitæ, in quæ si hæ illi prævaleant, pacem i. e. sanitatem tanquam victoriæ fructum ægroto reddunt, expulso hoste; sin vero morbus viribus vitæ fuerit superior, istis oppressis æger perit. Hujusmodi subitas morborum in melius aut deterius mutationes Medici *Crises* seu *judicia* compellant. Unde effato HIPPOCRATIS (b), „ februm judicationes „ iisdem numerantur diebus, quibus & „ evadunt, & moriuntur homines „.

§. 2.

DIES *critici* ergo seu *decretorii* dicuntur ii, in quos ejusmodi crises seu judicia cadunt. Interea cum notante GALENO (c) crises omnibus diebus evenire possint, non omnes continuo dies pro criticis habendi sunt; nam illæ non eodem semper modo eveniunt, proin-

(b) Prognostic. p. 43. & de Crisib. p. 52.

(c) De dieb. decretor. L. 1. C. 2.

de non eodem etiam cum successu. Proinde strictiori sensu, quem iis GALENVS (d) tribuit sumendi sunt *Dies critici*, ii nempe, in quos crebræ & perfectæ morborum crises incidunt. Notandum est nihilominus, diei critici notionem ab HIPPOCRATE neutiqvam adeo in stricto sensu fuisse acceptam, quemadmodum e sequentibus visurifumus; quippe cui dies criticus omnis ille est, quo insignis morbi mutatio in melius vel deterius contingit, seu quo homines aut evadere e morbo vel mori accidit, ut paulo ante dictum est.

C A P V T II.

DIES CRITICI GENERATIM SPECTATI.

§. 3.

*C*lasses dierum criticorum binas HIPPOCRATES statuit, pro duplici nempe febrium varietate, ita ut alii sint in febribus continentibus, alii in remittentibus & intermittentibus.

(d) In HIPPOCR. prognost. commentar. 3. text. 1.

A. *Remittentium* dies critici sunt vel pares vel impares, prout nempe illarum exacerbationes diebus vel paribus vel imparibus contingunt. Etenim „ quæ „ diebus paribus invasiones habent, „ inquit COUS (e), ea diebus paribus „ decernunt; quorum vero accessiones „ imparibus diebus fiunt, ea imparibus „ judicantur „. Hinc etiam notante illo (f), „ tertiana exqvifita 7 circuitibus „ ut longiffime judicatur „. Harum autem binarum ferierum magis est illa insignis, quæ dies impares complectitur: hinc „ in primis igitur, inquit COUS (g), „ dies impares verendi sunt, nempe „ quod hi dies magnam ægrorum in „ hanc vel illam partem inclinationem „ efficiant „ i. e. in vitam vel mortem, adeo, ut alibi (h) dicat: „ febricitantem niſi diebus imparibus febris dimiferit, reverti ſolet „; imo „ tertio etiam febris revertitur, niſi poſt „ reverſionem die impari dimiferit „ (i). Sed qui iam ſunt illi decretorii

(e) Epidem. L. 1. S. 3. p. m 964.

(f) Sect. 4. aph. 59. & de criſib. p. m. 53.

(g) De rat. vict. in morb. acut. p. m. 399.

(h) Sect. 4. aphor. 61.

(i) De criſib. p. m. 55.

dies vel impares vel pares? De utrisque
 ita HIPPOCRATES (k): „ circuituum
 „ autem (inquit) qui diebus paribus
 „ judicant, primus est decretorius quar-
 „ tus, sextus, octavus, decimus, de-
 „ cimus quartus, vigesimus octavus,
 „ trigessimus, quadragesimus octavus,
 „ sexagesimus, octogessimus, & cente-
 „ simus; circuituum vero, qui diebus
 „ imparibus judicant, primus est ter-
 „ tius, quintus, septimus, nonus, un-
 „ decimus, decimus septimus, primus
 „ & vigesimus, septimus & vigesimus,
 „ & trigessimus primus. Considerandum
 „ autem est, quod si quid aliter extra
 „ hos præscriptos dies decernat, reci-
 „ divas fore, pernicienque portendi „
 Sunt itaque dies critici

impares 3. 5. 7. 9. 11. 17. 21. 27. 31.

pares 4. 6. 8. 10. 14. 28. 30. 48. 60. 80. 100.

Apprime autem notandum est, binas has
 numerorum series admodum esse con-
 troversas; quandoquidem, utrum genui-
 næ sint, haud satis constat, ob exem-
 plarium manuscriptorum etiam vetustissi-
 morum hac in re miram varietatem,
 quæ unde profecta sit, exponit A. DE

(k) Epidem. I. c. p. ul. 965.

HAEN (1) „ Græcis (inquiens) moris
 „ est numeros literis ut exponant, α
 „ cum accentu gravi in vertice deno-
 „ tat unum, β' duo, γ' tria, &c. A
 „ litera ι numeros decimos sive (ut vo-
 „ cant) decimales ordiuntur; a litera ρ
 „ centenarios; millenariis accentum po-
 „ nunt infra literam. Quia nunc ante
 „ inventam typographiam libri omnes
 „ itilo vel calamo exarabantur, quique
 „ scribendi arte victum quæritarent,
 „ veloces eos in opere illo esse oport-
 „ tebat, nil committendis in eo erro-
 „ ribus facilius fuit, potissimum si MSS
 „ vetustas vietas literas contineret.
 „ Undenam aliter MSS complurium
 „ varietas tam stupenda, tantaque con-
 „ tradictio nata „? - - - Merito proin-
 „ de concludimus notarios, sive anti-
 „ graphos similitudine literarum nume-
 „ ros designantium deceptos fuisse,
 „ quod in vietis MSS facile, sæpiusve
 „ eosdem numeros, quod festinanti-
 „ bus solemne, onisisse „. Miram ex-
 „ emplarum varietatem circa hos nume-
 „ ros sua jam ætate vidit GALENVS (m),

(1) Rat. med. P. 1. C. 4.

(m) Commentar. cit in hunc textum.

nec minorem A. FOESIVS (n), ut quo inam eorum genuinos numeros continet, nullatenus statui possit. Eapropter alii HIPPOCRATIS loci ad erudendam duplicium horum criticorum dierum veritatem sunt consulendi, & cum omnium posteriorum ætatum observationibus fidis conferendi. Certe diem 20 male inter dies pares desiderari, ut qui inter maxime insignes criticos sit, FOESIVS recte notat.

B. *Continentium* porro febrium critici dies sunt quaternarii quique, a 4^o inchoando, cujuslibet hebdomadis, quos ZACVTVS (o) ita ordinat:

4. 7. 11. 14. 17. 20. 24. 27. 31. 34.
37. 40. 44. 47. 51. 54. 57. 60. 64.
67. 71. 74. 77. 80. 84. 87. 91. 94.
97. 100.

queis 120 plerique omnes adjiciunt. Hos autem rursus bifariam divisit HIPPOCRATES (p) ita, ut septimanæ cujusque diem quartum vocet diei septimi indicem; quippe quo indicia præ-

(n) Tom. I. p. 965.

(o) De medicor. Princip. histor. L. 6. histor. 19. paraphr. in fine p. m. 314.

(p) Sect. 2. aphor. 24. & de octim. partu p. m. 257. lin. 40.

Satis autem liquet ex inspecta hac tabula tertiam quamque hebdomadem cum precedente ita confluere, ut postremus hujus dies sit simul primus cujusque tertix. Id vero natura ita jubente ac docente se fecisse testatur HIPPOCRATES (g) de primis tribus septimanis agens „ hi (ait) igitur circuitus ex acutissimis morbis per 4 facta accessione „ ad vigesimum terminantur „ cum tamen vicissim primus postremus esse deberet; at subjicit continuo „ neque „ vero horum quicquam (dicens) integris diebus exacte numerari potest; „ cum neque annus etiam, neque menses integris diebus numerari soleant. „ Posthæc autem eadem ratione juxta „ eandem abjectionem primus circuitus est quatuor & triginta dierum, „ secundus 40, tertius 60 „ i. e. a die 20^{mo} primæ binæ hebdomades iterum 14 diebus plenis constant, 3^a vero 6 tantum diebus, cujus postremus dies est quadagesimus; & idem est de 3 hebdomadis aliis usque ad diem sexagesimum, velut e tabella adjecta liquido patescit. Hac ra-

tione cum remittentium tum continen-
tium febrium dies criticos percurrimus.

§. 4.

Sed reperiuntur porro apud COUM
sententiæ, quæ hæcenus allatæ dierum
criticorum partitioni haud satis corre-
spondent, videnturque dies criticos u-
trarumque febrium confundere, uti dum
ait (r): „ sudores febricitanti si 3^o 5^o
„ 7^o 9^o 11^o 14^o 21^o & 30^o die con-
„ tingunt, hujusmodi sudores morbos
„ judicant; qui vero non sic contin-
„ gunt, labores portendunt „; imo
haec eandem sententiam alibi (s) aliter
etiam quoad dies exposuit: nempe „ su-
„ dores febricitantibus boni, qui cœpe-
„ rint 3^o die, 5^o 7^o 9^o 11^o 14^o 17^o
„ 21^o 27^o 31^o & 34^o; ii enim sudores
„ morbos judicant: qui vero tales non
„ sunt, laborem & morbi longitudinem,
„ ejusdemque reversionem significant „.
Porro (t) „ quibus (inquit) per febres
„ morbus regius autem diem 7^{um} obor-

(r) De crisi p. m. 53.

(s) Sect. 4. aphor. 36.

(t) Ibidem aphor. 62.

„ tus fuerit , malum „ : contra vero
 (u) „ quibus per febres die 7^o aut 9^o
 „ aut 11^o aut 14^o morbus regius obor-
 „ tus fuerit , bonum , nisi præcordia
 „ dextra dura fuerint ; alicqvi minime
 „ bonum „ : namqve (v) „ febribus ar-
 „ dentibus si post 7^{um} diem morbus re-
 „ gius succedat , sudoris indicium est „ .
 Quod ad sudorum sententiam attinet ,
 posterior priore , utpote ex aphorismis
 desumpta , multo est limatior , in qua
 omnes dies præter 14^{um} & 34^{um} sunt
 impares ; & licet argutando dici posset ,
 hos binos etiam pro imparibus haberi
 posse , quatenus dies 14^{us} ab 8^{vo} , &
 34^{us} a 28^{vo} , sunt septimi : tamen malu-
 mus dicere , ita rem circa sudores ab
 HIPPOCRATE in natura fuisse observa-
 tam . Hinc ne GALENVS (x) quidem
 varie hunc in aphorismum qua ratioci-
 natus qua calculum theoreticum sub-
 ducens satisfecisse videtur , præsertim
 cum pro die 21^o e variantibus exempla-
 ribus 20^{um} elegerit , nec aliam critico-
 rum dierum classẽ agnoscat , quam
 quæ e quateruariis hebdomadam diebus

(u) Ibidem aphor. 53. & de crisib. p. m. 53.

(v) De crisib. p. m. 52.

(x) Commentario 4 in hunc aphor.

coalescit. De ictero autem quæ dixerat, cum diebus quaternariis per omnia congruunt, nisi quod 9us dies in eorum classem infertus sit, qui subinde etiam in quaternariis per modum exceptionis a regula locum habet; nisi malit quis hanc prædictionem ad numeros impares referre, considerando diem 14um velut imparem, quatenus is ab 8vo die est septimus. Prorsus eosdem etiam, quos in ictero, dies criticos in pleuriticis HIPPOCRATES (γ) adstruit, nempe 7. 9. 11. 14. et quibus, evaluaturus an obiturus æger, vel pus collecturus sit, intellectum iri ait. Atque hæc est præcipua incomparabilis hujus observatoris circa dies criticos in morbis doctrina uno velut obtutu proposita; de qua nihilominus multa adhuc singillatim sunt exponenda.

§. 5.

Quam pulchre autem cum omnium inde post HIPPOCRATEM temporum experientia hætenus dicta congruant, fusius deinde passim visuri sumus. In

præsenti vero unicum tantum hanc in rem exemplum attulisse sufficiat, quod ZIMMERMANNVS in HALLERI vita refert, quodque H. F. DELIVS (2) memoria longe dignissimum censuit, nempe femina cœlebs 19 annorum e febre acuta die 6^o admodum ægrotabat, cum lacrimatione involuntaria; die 7^o erupit larga e naribus hæmorrhagia; die 11^o alvus fluxit; inde miliaria die 14^o rubra, 17^o alba, effloruere; post diem 21^{um}, quo multum sudavit, melius habuit, & finiente 4^a hebdomade plene convaluit.

C A P V T III.

DIES CRITICI SINGILLATIM CONSIDERATI.

§. 6.

VIX HIPPOCRATIS de diebus criticis doctrina innotuit, cum continuo omnes illam veteres, etiam qui haud multum eoo tribuebant, sunt ample-

(2) Fränk. Samml. 2. Band 11, St 8. Art. No 4. p. 368.

xi, quos inter GALENO (a) teste fuerunt DIOCLES, PHILOTIMVS, HERACLITVS, ARCHIGENES, &c. tametsi pauci quidam eandem repudiarent (b), ut HEROPHILVS, XENOPHON & ASCLEPIADES. At nemo hanc doctrinam luculentius excoluit ipso GALENO, qui tres libros de diebus decretoriis conscripsit, inque iis, quid circa singulos morborum dies, quatenus ad crises pertinerent, observaverit ipse, diligenter fideliterque retulit, nempe in quos crebræ ac bonæ crises caderent, in quos rariores, minus fidæ, &c. Utile sane hoc ejus institutum fuit; nosque id ipsum hic opportune (ut reor) faciemus, non tam GALENUM exscripturi, quam potius ad GALENIANA posteriorum seculorum hanc in rem observata adjecturi.

§. 7.

A. DE HAEN (c) ex epidemicis HIPPOCRATIS libris sequentem concinnavit dierum criticorum elenchum:

(a) De dieb. decretor. Libb. 1. 2. & 3. & de crisib. L. 3. C. 4

(b) Idem Comment. 1. in HIPPOCR. progn. & de dieb. decret. L. 2. C. 7.

(c) l. c.

<i>Dies</i>	<i>judicia</i>	
3 ^a dedit	7	[3 mala [3 bona [1 dubium quoad diem
4 ^a	12	[6 bona [6 mala
5 ^a	14	[4 bona [5 cum recidivis [4 mala [1 letale (dubium quoad diem)
6 ^a	25	[13 letalia [11 cum validis recidivis [1 bonum, dubium tamen, an 6 ^{tæ} diei effet?
7 ^a	28	[11 letalia [8 bona [9 dubia vel cum recidivis
8 ^a	4	[1 bonum [2 letalia [1 cum recidivis (& tota constitutio fuerat)
9 ^a	6	[3 letalia [1 cum recidivis [2 bona

Dies judicia

10 ^a	dedit	3	[2 mala 1 cum recidivis
11 ^a		9	[3 mala 4 bona 2 vel dubia vel cum re- cidivis.
12 ^a		5	[2 letalia 1 bonum 2 imperfecta.
14 ^a		19	[3 mala 15 bona 1 cum aliqua recidiva.
15 ^a		2	[1 bonum 1 malum
16 ^a		1	1 malum
17 ^a		8	[6 bona 2 mala
18 ^a		2	[1 bonum 1 dubium
19 ^a		1	bonum
20 ^a		16	[10 bona 1 imperfectum 5 mala
21 ^a		1	malum

<i>Dies</i>	<i>judicia</i>	
22 ^a	dedit 2	[1 bonum [1 cum recidiva
23 ^a	1	dubium, an ad eam pertineat.
24 ^a	4	[2 mala [1 bonum [1 cum recidiva.
25 ^a	1	malum; at ambiguum an eo die.
27 ^a	2	[1 bonum [1 malum
29 ^a	1	cum recidiva (inte- gra sic constitutio.)
34 ^a	2	[1 bonum [1 letale
40 ^a	12	[8 bona [2 letalia [2 ambigua vel cum [recidivis
51 ^a	1	bonum
67 ^a	1	malum
70 ^a	2	[1 forte bonum [1 malum
75 ^a	1	bonum
80 ^a	4	[3 bona [1 letale

100 ^a	I	bonum
120 ^a	I	malum.

„ Summa igitur (inquit) est judicio-
 „ rum *ducentorum*, tam privatorum æ-
 „ grorum, quam plurimum constitutio-
 „ num epidemicarum; quæ tamen o-
 „ mnes singulari tantum numero indi-
 „ cantur „ Sed cum hic elenchus non
 usque adeo multum utilitatis suppeditet,
 utilior multo lectoribus erat futurus, si
 Auctor loca ubique, ad quæ unus quis-
 que dies pertinet, connotasset, ut sic
 lector uberiores inde fructum colligere
 posset. Ex hac porro sua tabula Cl. Vir
 concludit: „ secundum hæc observata
 „ maxime critici sunt dies 3. 4. 5. 7.
 „ 9. 11. 14. 17. 20. 40. Quod enim
 „ dies 6^{us} & 29^{us} plurima judicia con-
 „ tinere videantur, nihil contra facit;
 „ sunt enim suspecti, & saltem cum va-
 „ lidis recidivis post multos langviores.
 „ Reliqua pauca diebus aliis vel minus
 „ criticis vel plane non criticis obser-
 „ vata vix regulam faciunt „ Sed me-
 liorem credo lucem doctrina dierum
 criticorum nanciscetur, si eorum singuli
 seorsim examinentur, & observatis me-
 dicis illustrentur. Eapropter

§. 8.

Primus & secundus dies, tametsi eum utrumque **DIOCLES GALENO** (*d*) teste inter decretorios relatum voluerit, nullatenus ad eorum classem referendi sunt; nam etsi primo alterove die varios morbos solvi in comperto sit, tamen aliud *solutio* morbi est, aliud *crisis*, (nisi quis de nomine litem movere velit): plura enim ad *crisin* quam *solutionem* requiruntur; ac tametsi omnis bona *crisis* morbi sit *solutio*, non tamen e converso omnis *solutio* dicenda est *crisis*. Scholastice hanc in rem & **GALENUS** (*e*) multis disputat pro more suo, & **ZACUTUS** (*f*): nos verbosis litibus missis solam **HIPPOCRATIS** doctrinam respicimus: quamquam contra hos omnes **G. MARTIN** (*g*) contendat, vera *crisi* primis binis diebus *judicatum* fuisse sudorem Anglicanum.

(*d*) De dieb. decret. L. 1. C. 9.

(*e*) Ibidem.

(*f*) l. c. p. m. 295 sq.

(*g*) In Zusätzen zu den med. Versuch. u. Bemerk. der Edinb. Gesellschaft 6 Band p. 383. sq.

§. 9.

Tertius autem dies e decretoriis imparibus primus est, ut superius (b) vidimus. Variæ de hoc die apud COMM passim sententiæ prostant, quatenus vel index est aliorum vel decernens; de utraqve ergo re pauca delibabimus.

A. *Index* est hic dies variis in morbis, ut est pleuritis, &c. de quo HIPPOCRATES (i) „ quibus (ait) in morbo laterali lingua circa initia biliosa „ est, hi intra 7^{um} judicantur; quibus „ vero 3^o ac 4^o die, circa 9^{um} „. Perinde (k) in pleuritide dorsali quibus die 3^o vel 4^o urina subcruentæ saniei similis prodit, eos die vel 5^o vel 7^{mo} perire, his vero superatis evadere ait. Porro in febre epidemica petechiali A. 1672 Coloniae grassata die 3^o petechias effloruisse refert DONKERS (l), si rite morbus tractabatur, 7^o que die secutum fuisse sudorem criticum. Perin-

(b) Vide §. 3. A.

(i) Coacor. 383.

(k) De morbis L. 3. p. m. 493 in fine.

(l) De febris punct. p. 3. 99. 282.

de Mansfeldiæ teste Stegmanno (m) emicuit maligna febris petechialis A. 1697 Februario mense, cum magna debilitate, in qua die 2^o vel 3^o erupere petechiæ, 5^o viris hæmorrhagiæ e naribus, menses feminis contingebant, quas plerumque die 7^o mors sequebatur.

B. *Decretorius* vero etiam est in morbis, qui imparibus, diebus moventur; imo diei 4^{ti} interdum est vicarius (quem ideo GALENUS coincidentem vocat), dum crisis anticipat, sed inter obscurissimos dies criticos eum GALENUS (n) rejicit, & cum die 18^o comparat: eo quod raro admodum in utrumque illorum cadant crises, præsertim bonæ; & certe ominosus est interdum pleuriticis, quandoquidem teste COO(o)
 „ in morbo laterali quibus circa initia
 „ in totum purulentæ sunt sputiones,
 „ ii 3^o die aut 5^o moriuntur: quos si
 „ superent, nec longe melius habue-
 „ rint, 7^o aut 9^o aut 11^o suppurati fi-
 „ unt „. Quod si porro monumenta

(m) Hist. epid. Man f. A. 1697. p. 314.

(n) De dieb. decret. L. 1. C. 5. L. 3. C. 8.

(o) Coacor. 379.

HIPPOCRATIS epidemica consulamus, reperiemus crises hoc die totidem accidisse malas, quot bonas; etenim obierunt hoc die ARISTOCRATES (p) & POLEMARCHI puer (q) & STHENEUS ex ictu (r), evasere vero mulier in Thaso (s), TIMOCHARIS (t), ac NICOLAI filius (u). Confirmant id ipsum etiam posteriora secula. SENNERTUS (x) meminit anginae epidemicae 1564. ex qua alii die 1^o, alii 3^o, alii 4^{to} interierunt. In peste minorem Asiam vastante A^o. 454 ægri intumescabant, dein visu privabantur, ac die demum 3^o oborta tussi necabantur (y). Perinde A. 565 peste cum bubonibus inguinum Italiam depopulante ægri intra triduum peribant; quo superato spes evadendi

(p) Epidem. L. 7. No 52. p. m. 1222.

(q) Ibidem No 115. p. m. 1238.

(r) Ibidem L. 6. Sect. 8. æger No 53. p. 1201.

(s) Ibidem L. 3. Sect. 3. æger 11. p. m. 1108.

(t) Ibidem L. 5. No 71. p. m. 1157. L. 7. No 78. p. 1228.

(u) Ibidem No 87. p. m. 1161.

(x) De febribus, L. 4. C. 17.

(y) EVAGR. apud BARON.

affulfit (z). Idem accidit in peste medio seculo XIV a G. CHAVLIAC descripta. Autumno A. 1713 Sopronii, ut memoriæ prodidit GENSELIUS (a), grassatus est epidemicus morbus cum vomitu vehementiqve abdominis ardore, qvi ægros die 3^o vel 5^o e medio tollebat. Nonnullis vero post petechiarum nigrarum eruptionem mors die 7^o vel 9^o accidit. Contra vero A. 1732 Edinburghi febris epidemica visa est, quæ biduo vel triduo exacto desinebat, relicta post se tussi molesta (b). A. 1729. Ultrajecti mense Martio benigna pleuritis observata est, quæ 3^o die, teste MUSCHENBROECKIO (c), cessabat. Et SENNERTUS (d) refert A. 1580 late grassatam fuisse catarrhalem febrem, ex qua nonnulli ægri die 3^o vel 4^o per sudores evasere.

§. 10.

Quartus dies primum inter quaternarios locum obtinet, estqve perinde

(z) Ibidem.

(a) Constit. epid. Hung. 1713. p. 809.

(b) Versuche u. Bemerk. von Edinb. 2 B
p. 29.

(c) Transact. Philos. No 425. p. 368.

(d) l. c.

ac 3^{us} jam index 7^{mi} (quod frequentissimum), jam ex se etiam decernens.

1. *Index* inde dici hic dies consuevit, quod ubi hoc die signa coctionis apparuerint, indicium sit, die 7^o crisin affuturam; sic „quibus 7^o die iudicatio contingit, inquit COUS (e), iis „urina rubram die 4^o nubeculam habet, aliaque pro ratione „: ejusmodi enim nubecula signum est coctionis; imo symptomata etiam quaedam die 4^{to} emergentia crisin diei 7^{mi} praesagiunt. Sic „quibus 1^o die dolor coepit, ii „4^o & 5^o die potissimum affliguntur, „at 7^o liberantur: quin etiam eorum „plerique 3^o die dolore vexari incipiunt, conflictantur autem maxime „5^o; verum 9^o aut 11^o periculo defunguntur, teste HIPPOCRATE (f).

2. *Decretorius* tametsi etiam sit dies hic ipse, tamen haud ita multo tertium antecedit, GALENO (g) arbitro; quippe qui (h) semel tantum, bis vero ARCHIGENES, 4^o die crisin viderit, id-

(e) Sect. 4. aphor. 70.

(f) Prognost. p. m. 46.

(g) De dieb. decret. L. I. C. 5.

(h) De crisib. L. 3. C. 4.

que in synocho, si nullus intercurrerit error, locum tantummodo habere dicat. Et sane HIPPOCRATIS ægris dies hic non usque adeo salutaris fuisse legitur; nam præter PERICLEM (*i*), & qui apud LEOCYDEM erat (*k*), mulieremque Tenediam (*l*), nemo alius, quod sciam, die 4^{to} est judicatus: nisi forte eos huc referre quis vellet, qui e recidivis die 4^o judicabantur, v. g. in statu tertix constitutionis in Thaso, ubi morbus „ aliis 6^o die decrevit, „ septem intermisit, & ex repetitione „ die 4^o (qui ergo proprie 17^{us} fuit) „ judicatus est, quare quid AGLAIDÆ „ filix usuenit (*m*) ... Nonnullis vero morbus die 7^o decrevit, 9 intermisit diebus, reversus est, & ex recidiva 4^o die judicatus est, (*n*) i. e. die 20^{mo}. Periverunt contra phreniticus (*o*), CALVUS (*p*), UXOR TESI-

(*i*) Epidem. L. 3. Sect. 3. æger 6. p. 1102.

(*k*) Ibidem L. 4. No 19. p. 1127.

(*l*) Ibidem No 20. p. 1128.

(*m*) Ibidem L. 1. Sect. 2. p. 957.

(*n*) Ibidem p. 958.

(*o*) Ibidem L. 3. Sect. 3. æger 4. p. 1100.

(*p*) Ibidem æger 5. p. 1101.

MI (q), lapide in caput ictus (r), & EPIMARCHI (s) puer. Perinde post HIPPOCRATEM ab aliis toties malus quoties bonus hic dies est observatus. Sic P. ALPINUS (t) meminit epidemicae in Italia A. 1586 pleuritidis, quæ ægros die 4^o vel 7^o jugulabat. MERCURIALIS (u) quoque refert Italicam (A. 1565--6) pestem plerisque die 4^o fuisse letalem, paucosque supervixisse diei 5^o. Idem in SENNERTI angina accidisse vidimus (x). FORESTI (y) tamen in febre A. 1545 epidemica crises fiebant die 4^o vel 11^o, uti & die 3^o vel 4^o in catarrhali SENNERTI (z) per sudorem.

(q) Ibidem L. 7. No 83. p. 1229. L. 5. No 53. p. 1155.

(r) Ibidem L. 5. No 59. p. 1155.

(s) Ibidem L. 7. No 117. p. 1238.

(t) De prælag vit. & mort. L. 1. C. 11. L. 7. C. 19.

(u) Lect. de pest. p. 6.

(x) Vide §. 9. B.

(y) Obs. & cur. med. L. 7. Obs. 7.

(z) Vide §. 9. B.

§. II.

Quintus altero loco inter impares criticos (a) reperitur, sæpe index cuiuspiam e posterioribus, sæpe ipse decernens.

1. *Index* dum est, varia portendit, vel fausta vel ominosa, v. g. ,, qvi...
 ,, 5^o die dolore affligi cœperint, &
 ,, reliqua pro ratione prioribus respon-
 ,, deant, ad 14^{um} diem judicatur mor-
 ,, bus., teste COO (b). Sic etiam qvi-
 ,, bus... in morbo laterali initio qvi-
 ,, dem dolores leves sunt, 5^o vero aut
 ,, 6^o die irgravescunt, fere ad 12^{um}
 ,, perveniunt, raroque servantur, sed
 ,, præcipue 7^o ac 12^o die periculum
 ,, subeunt; quod si bis septem evaserint,
 ,, servantur,, (c). Ita quoque in epi-
 demia STEGMANNI (d) sanguinis die
 5^o profluvia mortem die 7^o affuturam
 præfagiebant.

2. *Decretorius* porro est in sanita-
 tem vel mortem in morbis per dies im-

(a) Vide §. 3. A.

(b) Prognost. p. m. 46.

(c) Coæcor. No 387.

(d) Vide §. 9. A.

pares invalescentibus (e), vel etiam inter numeros quaternarios (f), dum crisis postponens a die 4^o in 5^{um} cadit. Vidimus jam superius (g), diem hunc letalem iis esse, quæ in dorsali pleuritide die 3^o vel 4^o urina subcruentam saniam referens prodit: contra vero, si subito sudore morbus cesset, & urina fulva cum sedimento albo conspiciatur, iis eodem die febris revertitur, quæ 5^o die sine periculo judicatur, ait COUS (b). Omnibus vero ægrotis COI collatis plures hocce die emerere, quam perierunt; nam etsi dies hic funestus fuerit ERASINO (i), PHILISTI (k), lapide in caput icto (l), mulierique anginosæ (m), salutaris nihilominus fuit METONI (n), uxori CLEOMENIS (o), aliisque mul-

(e) Vide §. 3. A.

(f) Ibidem B.

(g) Vide §. 9. A.

(b) De cr sib. p. m. 52.

(i) Epidem. L. 1. Sect. 3. æger 8. p. 934.

(k) Ibidem L. 3. Sect. 2. æger 4. p. 1070.

(l) Ibidem L. 7. No 34. (de quo etiam §. 10 No 2).

(m) Ibidem L. 3. Sect. 2. æger 7. p. 1075.

(n) Ibidem L. 1. Sect. 3. æger 7. p. 983.

(o) Ibidem L. 7. No 106. p. 1235.

tis, v. g. tussi per hyemem vigente (p)
 „ præcipue austrino cœli statu, crassa
 „ multa albaque screantibus febres fere
 „ succedebant, & 5^o die desinebant;
 „ tussis vero sub quadragesimum: quæ
 „ quid Hegeſipoli contigit,,. Præ
 tamen sunt febres hoc die judicatæ ad
 recidivas. Sic (q) in Thaso morbus
 „ plurimis... 5^o die decrevit, septem
 „ intermisit, & post reditum die 5^{to}
 „ judicatio facta est (i. e. die 17^o)...
 „ sub hyemem vero circa brumale sol-
 „ stitium ad æquinoctium usque febres
 „ ardentes & phrenitides perdurabant,
 „ multique peribant. Judicationes ta-
 „ men varie ceciderunt, plurimisque
 „ 5^o ab initio die morbus decrevit,
 „ 4^o intermisit, repetiit, & ex recidi-
 „ va 5^o die judicatio facta est, omnino
 „ diebus 14,, (r). Perinde alias (s)
 „ a vergiliarum occasu austrini flatus
 „ spirabant, quæ 5^o die judicabantur,
 „ uno intermisso prehendebant,,. Dein
 vero (t) „ post vergiliarum occasum

(p) Ibidem L. 5. No 77. p. 1159.

(q) Ibid. p. m. L. 1. Sect. 2. Statu 3tio p. 956.

(r) Ibidem p. 958.

(s) Ibidem L. 4. No 18. p. 1127.

(t) Ibidem No 20 p. 1128.

„ lienis affectus aderant , & ad sum
 „ usque diem sanguinis e naribus pro-
 „ fluxum , judicatio obtigit „ . Ita
 etiam MUSCHENBROECKIUS (u) me-
 minit anginx Mense Januar. A. 1729
 Ultrajecti epidemicæ , quæ infantibus
 quibusdam die 5^o desit ; sed aliqui eo-
 rum die 7^o in eandem relapsi 14^o pri-
 mum die prorsus convaluere. Similem
 etiam epidemiam vidit N. CHESNEAU
 in adultis (x) febris epidemicæ. In non-
 nullis tamen epidemiis dies hic admo-
 dum est fatalis. GENSELIUS (y) de-
 scribit febrim hyeme 1711 in Hunga-
 ria epidemicam cum rubris miliaribus,
 infantibus potissimum infestam , quos die
 5^o vel 7^o necabat. Vere sequenti emi-
 cuerunt febres cum delirio , itidem die
 5^o & 7^o letales (z) ; quo etiam die
 5^o letalis plurimis erat verna febris pe-
 techialis anni 1713(a). BALLONIUS(b)
 quoque testatur , Parisiis principio A.

(u) l. c. p. 363.

(x) Obs. med. L. 5 p. 518.

(y) Constit. epid. Hung. 1711. p. 798.

(z) Ibidem 1712 p. 799.

(a) Ibidem 1713. p. 802.

(b) Epidem. L. 2. p. 150.

1676 eos, qui debiles corruptosque pulmones habuere, incidisse in febres, pleuritides, peripneumoniasque die 5^o vel 7^o perimentes. Denique in sæva illa peste medio seculo XIV late grassante perinde dies 5^{us} ægris exitium attulit (c).

§. 12.

Sextus dies uno omnium pene ore, omniumque ætatum experientia, pro pessimo semper est habitus, adeo ut, postquam GALENUS (d) malignitatem ejus per omnia ostendisset, præsertim in comparatione cum 7^{imo}, subdat: „ mihi quidem frequenter in mentem „ venit, 7^{mi} diei naturam Regi assimila- „ re, 6^{ti} vero tyranno „: quandoquidem die 6^o judicia, ut ut numerosa, contingant pessimi semper sint eventus, utpote imperfecta, infida, maligna, laboriosa, &c. „ Etenim qui in 4^o ad „ pejorem statum recidunt, plerique „ 6^o moriuntur „ (e). Videamus hu-

(c) MARTIN l. c. §. 39. H. p. 440. sq.

(d) De dieb. decret. L. 1 C. 4.

(e) Ibidem.

jus diei judicia ex HIPPOCRATE primum. Larissæ virgini febris ardens paribus diebus exacerbata die 6^o judicata est, & „ huic (velut admirabundus subdit COUS) morbus non repetiit „ (f). Contra vero omnibus aliis hoc die judicatis recidiva contigit, velut fratrum duorum uni (g) ad EPIGENIS theatrum, EURYANACTIS filix (b) alterique virgini (i), THESTORIS famulæ (k), atque adolescenti (l). Porro in Thaso „ aliquibus die 6^o morbus „ decrevit, atque ubi dies sex intermisisset, tribus diebusprehendit, quos „ etiam ubi uno die reliquisset, altero „ rursusprehendit, & judicatus est, „ quemadmodum EVAGONTI DAITHARSIS filio contigit. Aliis 6^o die decrevit, septem intermisit, & ex „ repetitione die 4^o judicatus est, quæ „ le quid AGLAIDAE filix usuenit „ (m). Alius quoque constitutionis memi-

(f) Epidem. L. 3. S. 3. æger 12. p. 1110.

(g) Ibidem L. 1. S. 2. stat. 3. p. 956.

(b) Ibidem L. 3. S. 3. æger 6. p. 1073.

(i) Ibidem L. 4. No 3. p. 1121.

(k) Ibidem No 5.

(l) Ibidem No 13. p. 1125.

(m) Ibidem L. 1. S. 2. stat. 3. p. 956. sq.

nit (*n*), in qua „ hisce temporibus „ omnia 6^o & 8^o die judicabantur „ : sed quo eventu non addit; nisi quod virgini eodem die in ipsa illa epidemia judicatae recidivam accidisse narret. Periverunt autem die 6^o DROMEADAE conjux (*o*), PHILISCUS (*p*, pluri-
miqve alii in Thaso, quos inter EPAMINONDAS, SILENUS, PHILISCUS ANTAGORAE filius (*q*), & ante hos alii (*r*) cum TELEBULI filia (*s*); queis forte etiam Aeniates est addendus (*t*). GALENUS (*u*) quoque in constitutione quadam autumnali observavit omnibus die 6^o malum accidisse judicium. BRASSAVOLA (*x*) etiam testatur in epidemia A. 1529 mortem fere semper 6^o die evenisse, & DIE-

(*n*) Ibidem L. 4. No 3. p. 1121.

(*o*) Ibidem L. 1. S. 3. stat. 3. æger 11. p. 987.

(*p*) Ibidem æger 1. p. 966.

(*q*) Ibidem Sect. 2. stat. 3. p. 957.

(*r*) Ibidem p. 954.

(*s*) Ibidem p. 953.

(*t*) Ibidem L. 5. No 60 p. 1155. & L. 7. No 35. p. 1218.

(*u*) De dieb. decret. L. 2. C. 7.

(*x*) Comment. in HIP. Aph. 24 Sect. 2.

MEIBROECKIUS (y) refert in peste Neomagenfi A. 1635--6--7 crises omnes, quæ 6^o die contingere, fuisse letales; atque in epidemica SENNERTI (z) A. 1565 pleuritide mors fere femper sub finem diei 6^{ti} contingit; perinde PAREIRAE (a) in epidemica febre diarrhœa die 6^o vel 7^o superveniens ægrum continuo interemit. Sola febris Edinburgi A. 1731 cum diarrhœa regnans die 5^o vel 6^o feliciter conquiescebat, si bene tractabatur; sin minus, æger die 10^o vel 12^o interibat (b). Interea tamen inculcandum est dierum GALENICORUM & HIPPOCRATICORUM, de quibus postea (c) dicetur, discrimen, vi cuius accidere potest, ut 6^o GALENICO die bona crisis eveniat, qui tamen est 7^{us} HIPPOCRATIS. Cum enim iste dies ad solis ortum & occasum metiatur, ille vero ab hora primi diei morbi ad eandem usque dierum sequentium; fieri potest, ut si morbus v. g. die 1^a Maji hora 12^a meridiana cœ-

(y) De peste p. 67.

(z) l. c. p. 843.

(a) Nov. Med. 66. p. 876.

(b) Medic. Essays T. 1. p. 41.

(c) Vide §. 37. 39.

pit, judicetur 7^a Maji hora 10^a, quæ
 juxta GALENUM ad 6^{um} adhuc diem
 pertinet, ad 7^{um} vero juxta COUM.
 Unde etiam D. PANAROLUS (d) „ plu-
 „ ries (ait) crîsim perfectam at:sqve ulla
 „ recidiva observavimus tum 6^{ta} die tum
 „ 8^{va}... At id sciendum est, quod hoc
 „ accidet, si GALENICORUM more
 „ dies numerabimus, non autem HIP-
 „ POCRATICE, juxta cujus compu-
 „ tum crîsis perfecta incidit semper in
 „ 7^{am} diem „

S. 13.

Septimus dies perinde aliorum, (ut
 4^{us} 7^{mi}) est index alias, alias vero de-
 cernit.

1. *Index* est plerumqve diei 11^{mi}.
2. *Decretorius* autem tantopere est,
 ut eum omnium principem GALE-
 NUS (e) esse velit e sua experientia.
 „ ego (inquiens) in tota ætate ...
 „ plures quam 400 homines, acute æ-
 „ grotantes universos, vel 7^o vel 9^o
 „ die crîsim habuisse conspexi „ Plu-

(d) Obs. med. Pentec. 3. Obs. 39. p. 187. sqq.

(e) De dieb. decret. L. 2. C. 7.

ra jam passim hætenus de diei hujus judicio dicta sunt: quæ nunc exempla adjungemus, & eorum quidem primum. Fatalis hic dies fuit PHILONIS filix (f), adolescenti (g), mulieri (b), abortienti (i), SCOMPHO (k), ARISTIPPO (l), puerperæ (m), THEODORI conjugii (n), sorori HIPPIAE (o), ac filio NICOLAI (p): evasere contra, at non sine recidivis, fratrum unus ad theatrum EPIGENIS (q), mulier in litore (r), vir notis compunctus (s), futor (t), & NICOXENUS (u); perinde in Thaso (x) morbus, quibusdam

- (f) Epidem. L. 1. S. 2. stat. 3. p. 955.
 (g) Ibidem L. 3. S. 2 æger 8. p. 1076.
 (b) Ibidem æger 10 p. 1078.
 (i) Ibidem æger 11 p. 1079.
 (k) Ibidem L. 5. No 3. p. 1142.
 (l) Ibidem No 98. p. 1162. & L. 7. No 31. p. 1217.
 (m) Ibidem L. 5. No 103. p. 1162.
 (n) Ibidem L. 7. No 27. p. 1216.
 (o) Ibidem No 62. p. 1225.
 (p) Ibidem No 100. p. 1234.
 (q) Ibidem L. 1. S. 1. stat. 3. p. 955.
 (r) Ibidem S. 3. æger 13. p. 990.
 (s) Ibidem L. 4. No 1. p. 1120.
 (t) Ibidem No 19. p. 1127.
 (u) Ibidem L. 7. No 88 p. 1229.
 (x) Ibidem L. 1. S. 2. stat. 3. p. 956.

„ etiam 7^o die decrevit, diebus 7 in-
 „ termisit, & ex recidiva die 3^o judi-
 „ catio facta est. Nonnullis quoque
 „ morbus die 7^o judicatus est, cum-
 „ que diebus 3 intermisisset, 7^o decre-
 „ vit.... Nonnullis vero morbus die
 „ 7^o decrevit, 9 intermisit diebus, re-
 „ versus est, & ex recidiva 4^o die ju-
 „ dicatus est, (y). At longe plures
 fuere, qui hoc die sine omni recidiva
 sunt judicati, ut PHANOCRITUS (z),
 vir in sutrina (a), alius apud LEOCY-
 DEM (b), soror puerperæ (c), vini-
 tor (d), filius POTAMONIS (e) (ho-
 rum tamen duorum dies judicationis est
 ambiguus), mulier quædam (f) ac vir (g),
 tum puella (h), ac famula (i), cujus

(y) Ibidem p. 958.

(z) Ibidem.

(a) Ibidem L. 4. No 16. p. 1127.

(b) Ibidem No 19. p. 1127.

(c) Ibidem No 25. p. 1131.

(d) Ibidem.

(e) Ibidem No 26.

(f) Ibidem No 27.

(g) Ibidem.

(h) Ibidem L. 5. No 55. p. 1155. & L. 7.
 No 85. p. 1229.

(i) Ibidem L. 4. No. 33. p. 1135.

perinde dies est dubius, affinis THEOCLIS (k), & PHILISTIDES (l); & in constitutione, in qua vinitor judicatus est, multis „ 3^o die, partim etiam „ 5^o, partim 7^o judicatio contingebat „ (m). Quid quod in Thaso tertianis etiam dies hic fuerit solennis, ubi (n) „ tertianæ plures quidem, quam ardentes, „ & laboriosiores fuerunt, atque in his „ omnibus rite & ordine a 1^o insultu „ ad quaternos circuitus processere, in „ septem vero absolute judicabantur, „ neque horum cuiquam reverterunt „ Ex epidemiis autem posteriorum temporum idem etiam sibi constat; nam RAMAZZINUS (o) observavit in Mutinensi agro 1691 febrem cum delirio, quæ die 7^o per sudores judicabatur; meminitque similis e LUCIANO febris epidemicæ apud Clazomenios, quæ eodem die vel sudore vel narium hæmorrhagia finiebatur. WINTERINGHAM (p)

(k) Ibidem L. 7. No. 26. p. 1216.

(l) Ibidem No 130 p. 1239.

(m) Ibidem L. 4. No 26. p. 1131.

(n) Ibidem L. 1. Sect. 2. stat. 2. p. 944.

(o) Constit. epid. urb. 1691. §. 34. p. 164.

(p) Comm. nosol. p. 81.

quoque A. 1725 levem febrim vidit, intra hebdomadem terminari solitam. Vratislaviæ item (q) A. 1699 febris acuta grassata est, quæ in junioribus die 7^o per narium hæmorrhagiam, in adultioribus vero die 14^o per sudores judicabatur. N. CHESNEAU (r) tres epidemias describit ab se visas, quarum „ in prima... æque... ægrotabant senes sicut & juvenes; at in his fiebant crises 5^a die per sudores, cuiuslibet tamen recidiva certa erat, verum sine periculo: in illis autem crisis cadebat semper in diem 7^{um}, probeque omnes judicabantur sine ulla recidiva; & ex omnibus ægrotis nullus fere mortuus est, longeque major erat masculorum numerus ægrotantium, quam feminarum, &c.

§. 14.

Octavus porro dies etsi inter criticos pares (s) numeretur, haud tamen vel multarum vel bonarum est crisis. In

(q) Constit. epid. Vratisl. 1699. p. 329.

(r) l. c.

(s) Vide §. 3. A.

Constitutione quidem quaedam apud HIPPOCRATEM (t) „omnia 6^{to} & 8^{vo} „ die judicabantur „; at quo eventu, non est literis proditum; ceteroquin vero pauca apud COLUM hujus diei profant judicia, cujus obiit hoc die ictericus (u), ac SIMI conjux (x) post diem septimum; evasit vero „ qui ex „ pacto asinum sustulit (y), illico febricitavit, 3^o die sanguinem e naribus profudit, & 4^o & 5^o & 7^o & 8^o judicatione est absolutus cum alvo lubrica „ : ut proinde crisis 4^o 5^o 7^o inchoata 8^{vo} finiretur tantum. A. 1732 autumno Edinburgi febris grassata ægros plerumque die 8^o vel 9^o necabat (z), & Ultrajecti, e MUSCHENBROECKII (a) relatione, mense Majo 1729 febris miliaris visa est, cujus die 3^o vel 4^o accidit alvi fluxus, & quibus die 5^o delirium aliæque prava symptomata advenerunt, mortem die 8^o attulerant; qui vero ab his fuere immunes, pleri-

(t) Epid. L. 4. No 3. p. 1121.

(u) Ibidem No 25. p. 1130.

(x) Ibidem L. 7. No 57. p. 1223.

(y) Ibidem L. 4. No 24. p. 1129.

(z) Medic. Versuche von Edinb. 2 Th. p. 27.

(a) l. c. No 425. p. 373 sq.

que die 10^o curabantur. Idcirco itaque GALENUS (b) diem 8^{um} æquiparat 6^{to}, excepto eo solo casu, ubi diei 7^{mi} iudicium postponens ad diem 8^{um} cadit, quæ de re omnia paucis complexus est ZACUTUS (c), quæ fuse in GALENO (d) existant.

§. 15.

Nonus autem dies inter impares criticos (e) melioris paulo est commatis, licet nec 7^o nec 14^o nec 20^o ullatenus comparandus; ut ut GALENUS (f) diem 9. 11. 20. eadem in classe quoad valorem posuerit. EX HIPPOCRATE vix certi quid hoc de die colligitur; enim vero mortua die 9^o est pulchra virgo NERII filia (g), HEROPHON (h) vero iudicatus recidivam est passus: in ceteris dies hic salutis vel interitus est an-

(b) De dieb. decret. L. 1. C. 5.

(c) l. c. p. in. 305. sq.

(d) De dieb. decret. L. 1. C. 8.

(e) Vide §. 3. A.

(f) l. c. C. 5.

(g) Epidem. L. 5. No 50. p. 1154.

(h) Ibidem L. 1. S. 3. æger 3. p. 974.

biguus; nam biliosus (*i*) ille circa 9um diem, & alter (*k*) ad 9um diem judicatus fuisse scribitur, perindeque BALIS filius circa 9um diem (*l*), & POLEMARCHI conux (*m*) circa 7um vel 9um diem, obierunt. GALENUS (*n*) quidem numerosos die 7o & 9o judicatos optime vidit; sed in peste Atheniensi a THUCYDIDE (*o*) descripta plerumque ægri circa 9um diem peribant, & in Edinburgensi (*p*) febre vidimus ægros plerumque die 8o vel 9o extinctos. FORESTUS (*q*) quoque describit febrim catarrhalem A. 1556, ex qua multi die 9o vel 14o obiere; qui 17um attigerunt, in vado erant. Et HIPPOCRATES de gravissima anginx specie agens (*r*), ait ab illa ægros die 5o vel 7o vel 9o suffocari. Perinde CHES-

(*i*) Ibidem L. 4 No 1. p. 1120.

(*k*) Ibidem No 37. p. 1136. in fine.

(*l*) Ibidem L. 7. No 19. p. 1215.

(*m*) Ibidem L. 5 No 62. p. 1156.

(*n*) Vide §. 13. No 2.

(*o*) De bello Pelopon L. 2. C. 49.

(*p*) Vide §. 14.

(*q*) l. c. L. 6. Obs. 1.

(*r*) De morbis L. 3. p. m. 490.

NEAU (s) in 3^a sua epidemia vidit ægros die 7^o. 9^o. 14^o. 17^o. interiisse.

§. 16.

Decimus dies. Hunc GALENUS (t) eum 8^{vo} æquiparat diei 6^{to}, ut obscurum, infidum, &c. Nec abs re; nam apud COUM (v) PYTHIO hoc die male judicatus est, nec sine recidiva letali die 11^o adolescens mente captus (x), & PYTHIO alius (y) die 10^o periit. Solus MUSCHENBROECK (z) hunc diem vidit salutarem.

§. 17.

Undecimus vero, e quaternariis tertius (a), jam luculentior est seu quæ index seu quæ decretorius.

1. *Index* est 14^{ti}, quia quartus secundæ septimæ (b).

(s) l. c. p. 522.

(r) l. c. C. 5.

(v) Epidem. L. 3. Sect. 1. æger 1. p. 1059.
Confer hic GALENI comment.

(x) Ibidem L. 4. No 11. p. 1123.

(y) Ibidem L. 3. Sect. 3. æger 3. p. 1098.

(z) Vide §. 14.

(a) Vide y. 3. B.

(b) Ibidem.

2. *Decretorius* quoque est, si ægros
 coi spectes, non obscurus; nam interie-
 runt hoc die SILENVS (c), alius (d),
 adolescens (e), & HIPPOSTHENES
 (f). Nonnullis vero post iudicium hu-
 jus diei recidiva contigit (g), quos in-
 ter est, qui in DEALCIS hortis decu-
 buit (h). Complures vero citra reci-
 divam evasere, ut phrenitici in Thaso
 (i), MELIDIA (k), SCOPUS que (l).
 Plura de hoc die apud ZACUTVM (m)
 e GALENO videri possunt.

S. 18.

Duodecimus dies adeo obscurus est,
 ut GALENUS (n) nullum illo die viderit
 iudicatum. Apud HIPPOCRATEM

-
- (c) Epidem. L. 1. Sect. 3. æger 2. p. 969.
 (d) Ibidem æger 12. p. 988.
 (e) Ibidem L. 4. No 11. p. 1123.
 (f) Ibidem L. 5. No 14. p. 1145.
 (g) Ibidem L. 1. S. 2. p. 958.
 (h) Ibidem L. 3. S. 1. æger 3. p. 1066.
 (i) Ibidem L. 1. S. 2. p. 954.
 (k) Ibidem S. 3. æger 14. p. 991.
 (l) Ibidem L. 2. S. 3. p. 1028.
 (m) l. c. p. m. 307.
 (n) l. c. C. 2.

(o) tutor quidam 12^o die judicatus dicitur, uti & singultus in epidemia TULPII (p).

§. 19.

Decimus quartus, utpote secundus septenarius (q), diei 7^o a GALENO (r) proximus ponitur dignitate, quem HIPPOCRATES passim ut ultimum acutorum morborum diem agnoscit, dum ait (s) „ morbi acuti intra dies 14. iudicatione terminantur „, & alibi (t): „ febres (inquit) ardentæ securæ 7^o „ aut 14^o finiunt „. Et vero numerosa hoc die iudicia contigisse observavit HIPPOCRATES, ut quo haud plures interiisse legantur, quam puerpera in foro mendacium (v), nisi famula in Omilo (x) huc adjiciatur, cui mors a vulnere die 14^o, a febre vero superveniente die 7^o, accidit, uti & navis

(o) l. c. L. 4. No 19. p. 1127.

(p) Obs. med. L. 4. C. 25.

(q) Vide §. 3. B.

(r) l. c. C. 5.

(s) Sect. 2. aphor. 23. & Crisium p. m. 53.

(t) De crisib. p. m. 52.

(v) Epidem. L. 3. S. 2. agr. 12. p. 1080.

(x) Ibidem L. 5. No 28. p. 1150.

præfectus (y), qui 14^o die itidem è
vulnere sine febre interiit: ceteri vero
omnes evasere. Nec a recidivis etiam
dies hic multum est infamis, ut quæ
paucis acciderint: sic Perinthi in consti-
tutione (z) „judicabantur ... maxime
„ omnia ut plurimum ad 14^{um} diem,
„ partim cum sudore, partim vero cum
„ rigore, nec nisi admodum paucis reci-
„ divæ contingebant,„; & e cunctis hoc
die salubriter judicatis nulli, nisi HER-
MOCRATI (a) & ANTIPHANIS fi-
lio (b) recidiva accidisse legitur. Plu-
rimi vero alii citra hancce secutam con-
valuere, ut mulier in littore (c), ZOI-
LUS (d), CHALCIDONIUS (e), u-
xor ACHELOI (f), senex quidam (g),
& qui ad MEDOSADAE vicum habita-
bat (h), & vir aliquis (i), tum POLY-

(y) Ibidem No. 74. p. 1159.

(z) Ibidem L. 2. S. 1. p. 1020.

(a) Ibidem L. 3. S. 1. æger 2. p. 1062.

(b) Ibidem L. 7. No 28. p. 1217.

(c) Ibidem L. 1 S. 3. æger 13. p. 990.

(d) Ibidem L. 2. p. 1023.

(e) Ibidem L. 4. No 2. p. 1120.

(f) Ibidem.

(g) Ibidem.

(h) Ibidem L. 4. No 37. p. 1136.

(i) Ibidem No 40. p. 1139.

CRA TES (k), ac mulier Cranonza (l); unctor (m), caupo (n), ac PYTHONI S filius (o). Porro in Thali (p) constitutione 3^a „ judicationes... varie ceciderunt, „ plurimisqve 5^o ab initio die morbus „ decrevit, 4 intermilit, repetiit, & „ ex recidiva 5^o die judicatio facta est, „ omnino diebus 14 „ Atqve hoc eodem etiam die morbos acutos epidemicos judicari viderunt BAGLIVUS (q), JORDANUS (r), MUSCHENBROECK (s), GOMETZ PAREIRA (t), SYDENHAM (v), & alii (x); qui etiam fatalis erat in epidemiis BORELLI (y), MUSCHENBROECKII (z), FORES-

- (k) Ibidem L. 5. No 73. p. 1157.
 (l) Ibidem L. 6. S. 3. No 5. p. 1174
 (m) Ibidem L. 7. No 11. p. 1211.
 (n) Ibidem No 15. p. 1215.
 (o) Ibidem No 128. p. 1239.
 (p) Ibidem L. 1. S. 2. p. 958.
 (q) Epist. ad ANDRY p. 707.
 (r) De peste apud SENNER T. L. 4. C. 14.
 (s) Ephem. Ultraject. A. 1728. p. 683 & Trans. Philos. No 425. p. 363.
 (t) Nov. Med. p. 537. sq. 595. sqq. 570.
 (v) Opp. p. 50. 62. sqq.
 (x) WINTERINGHAM l. c. p. 33.
 (y) Apud MALPIGH. vit. posth. p. 21.
 (z) Trans. Phil. l. c. p. 369.

TI (a), MORTONIQUE (b). Hinc tot de hoc die prædictiones crifium apud COUM (c).

§. 20.

Decimus quintus apud HIPPOCRATEM duos tantum ægros habet, quorum HERMOPTOLEMUS (d) hoc die periit; contra vero „ HIERONI ad „ 15^{um} judicatio facta est „ (e): nisi hic potius ad diem 14^{um} fit referendus. Hinc dies iste ad nullam dierum criticorum classem est admiffus.

§. 21.

Decimus sextus TEMENEI forori fuit letalis (f); ambiguumque est, utrum hoc die judicia contigerint in epidemia WINTERINGHAMI (g).

(a) l. c. L. 6. Obs. 1.

(b) Pyretolog. 2. app. p. 237.

(c) Coacor. No 229. 384. 392. 393. 396. 425. 427. 581. &c.

(d) Epidem. L. 7. No 16. p. 1215.

(e) Ibidem L. 2 S. 2. p. 1015.

(f) Ibidem L. 4. No 28. p. 1131.

(g) l. c. p. 43.

§. 22.

Decimus septimus vero & imparium & quaternariorum sibi classem est emeritus (*b*). Salutaris admodum erat in Thasi constitutione 2^a (*i*); namque ægrorum „ plurimis (ait *COUS*) bene admodum constituto & composito iudicationis ordine febris ardens cum intermissione in 17 diebus solvebatur, atque haud scio, an quisquam tunc ex hac ipsa interierit, aut ad phrenitim devenerit „. In alia quadam constitutione (*k*) „ rigores quibusdam cum tremore aderant, præcordiorum distentio, muliebria 17^o comparuerunt, & absolutam iudicationem fecerunt „. Hoc ipso quoque die iudicati sunt bini fratres ad *EPIGENIS* theatrum in 3^a Thasi constitutione (*l*), in qua eadem morbus „ plurimis . . . 5^o die decrevit, septem intermisit, & post reditum die 5^o iudicatio facta est. Quibusdam etiam 7^o die decre-

(*b*) Vide §. 3. A. B.

(*i*) Epidem. L. 1. S. 2. p. 944.

(*k*) *Ibidem* L. 4. No 26. p. 1131.

(*l*) *Ibidem* L. 1. S. 2. p. 950.

„ vit, diebus 7 intermisit, & ex reci-
 „ diva die 3^o judicatio facta est. Non-
 „ nullis quoque morbus die 7^o judica-
 „ tus est, cumque diebus tribus inter-
 „ misisset, 7^o decrevit. Aliquibus die
 „ 6^o morbus decrevit, atque ubi dies
 „ 6 intermisisset, tribus diebus prehen-
 „ dit, quos etiam ubi uno die reliquif-
 „ set, altero rursus apprehendit, & ju-
 „ dicatus est, quemadmodum EUA-
 „ GONTI DAITHARSIS filio contig-
 „ git. Aliis 6^o die decrevit, septem
 „ intermisit, & ex repetitione die 4^o
 „ judicatus est, quale quid AGLAI-
 „ DAE filiae usuenit „ (m). En per
 quot recidivarum varietates natura ad
 diei 17^{mi} crisin absolutam ægros duce-
 bat ! Sic etiam HEROPHONTI (n)
 morbus die 9^o judicatus, 5^o post re-
 dux, 3^{um} nocte sequente plene est ju-
 dicatus, i. e. 17^o die. Eodemque etiam
 die iudicium accidisse censendum est vir-
 gini (o), cui „ 6^o die cum judicatio ob-
 „ venisset, 6^o in morbum recidit; ju-
 „ dicata vero est per 6^{um} diem „ ? an
 ad 18 diem est referenda ?

(m) Ibidem & pag. sq.

(n) Ibidem S. 3. æger 3. p. 974.

(o) Ibidem L. 4. No 3. p. 1121.

§. 23.

Decimus octavus apud ROMAM tres ægros numerat, nempe POSIDOCREONTEM (*p*), qui hujus loci non est, & hoc die obiit, tum magnæ navis præfectum (*q*); sed hujus mors alibi (*r*) alio die evenisse dicitur, ac demum fullo-nem (*s*), qui 18^o die a morbo sine sudore liber factus est. Hinc oblituritas hujus diei patet, quem GALENUS (*t*) non abs re parvi facit.

§. 24.

Decimus nonus haud plus 18^o in judicando valet. Solus MOSCHUS (*u*) eo die, idque imperfecte, est judicatus.

§. 25.

Vicesimus autem dies, utpote ultimus hebdomadæ tertiæ (*x*), judiciis ad-

(*p*) Epidem L. 7. No 42. p 1220.

(*q*) Ibidem No 44.

(*r*) Vide §. 19.

(*s*) l. c. No 87 p. 1229.

(*t*) De dieb. decret. L. 1. C. 5.

(*u*) l. c. L. 4. No 19. p. 1127.

(*x*) Vide §. 3. B. tabell.

modum est insignis. Paucae illo mortes evenere apud COUM; imo eum plerumque praevenere: nam hoc die stricte sola PHILINI uxor (y), & adolescens quidam (z), referuntur obiisse, ceteri vero ante vigesimum. Sic ad vicesimum diem e vita migrasse dicitur NICOLAI UXOR (a), circa 20^{um} obiit UXOR MEANDRI (b), PYRIDAMUSQUE (c), non procul die 20^o senex quidam (d) interiit. Nec plures etiam, quam duae, recidivae post iudicium diei vicesimi accidisse leguntur, nempe HERMOCRATI (e), & ei, qui in DEALCIS horto decubuit (f). Ceteris hic dies universim fuit salutaris, circa quem iudicata est THERSANDRI UXOR (g), & alia quaedam mulier (h), ac famula

-
- (y) l. c. L. 1. S. 3. æger 4. p. 976.
 (z) Ibidem L. 5. No. 48. p. 1153.
 (a) Ibidem L. 7. No 50 p. 1221.
 (b) Ibidem L. 4. No 4. p. 1121.
 (c) Ibidem L. 5. No 5. p. 1142.
 (d) Ibidem L. 4. No 41. p. 1139.
 (e) Ibidem L. 3. S. 1. æger 2. p. 1062.
 (f) Ibidem æger 3. p. 1066.
 (g) Ibidem L. 4. No 6. p. 1121.
 (h) Ibidem No 27. p. 1131.

OLYMPIODORI (*i*) ; ipso autem
 20^o die judicati sunt HERACLIDES (*k*),
 CLAZOMENIUS (*l*), & alius quidam
 vir (*m*), CHAERION (*n*), Abderitana
 virgo (*o*), ANAXION (*p*), APEMAN-
 TIQUE sororis filius (*q*). Porro in
 1^a Thali constitutione (*r*) „ quibus e-
 „ rant brevissimi morbi, ii ad 20^{um}
 „ diem judicatione solvebantur „ Per-
 inde in 3^a constitutione (*s*) „ phreniti-
 „ cis . . . quibusdam . . . 20^{mo} (die morbi)
 „ judicatione solvebantur . . . Quibus
 „ tubercula ad aures enascebantur, ea
 „ die 20^o decernebant . . . Nonnullis
 „ vero morbus die 7^o decrevit, 9 in-
 „ termisit diebus, reversus est, & ex
 „ recidiva 4^o die judicatus est . . . Non-
 „ nullis vero 11^o die morbus decrevit,
 „ 14^o repetiit, perfecteque vigeſimo

(*i*) Ibidem No 32. p. 1133.

(*k*) Ibidem L. 1. S. 2. stat 3. p. 951.

(*l*) Ibidem S. 3. æger 10. p. 935.

(*m*) Ibidem L. 2. S. 2. p. 1012.

(*n*) Ibidem L. 3. S. 2. æger 5. p. 1073

(*o*) Ibidem æger 7. p. 1103.

(*p*) Ibidem æger 8. p. 1104.

(*q*) Ibidem L. 4. No 29. p. 1132.

(*r*) Ibidem L. 1. S. 1 p. 941.

(*s*) Ibidem S. 2. p. 954. & 958.

„judicatus est „. Hoc eodem die crises accidisse in epidemiis observarunt GALENUS (t), JORDANUS (u), MUSCHENBROECK (x), Vratislavienfes (y), &c. Hinc sæpe coUS crifin hujus diei prædicit paffim (z).

§. 26.

Vicesimus primus non ufque adeo obfcurus eft, præfertim inter dies impares; & licet apud COUM unica DEALCIS UXOR hoc die obiiffe dicatur (a), nemo autem evafiffe legatur; neque GALENUS (b) tanti eum faciat: fuere tamen, qui multum ei tribuerint, imo vicesimo prætulert (c). Quidquid fit, id verum eft, hunc diem minus effe vicesimo infignem; fed nec etiam ita e criticis eradendum, ut ubique librario-

(t) l. c. L. 2. C. 7.

(u) l. c.

(x) Ephem. Ultr. l. c.

(y) Hift. morb. Vratisl. A. 1701. p. 338.

(z) Coacor. No 380. Prorrh. L. 2. p. m 101. fq. &c.

(a) Epidem. L. 3. S. 3. æger 15. p. 1114.

(b) ll. cc.

(c) Vid. ZACUTUM l. c. quæft. 10. p. m. 315.

rum errore eum loco vicesimi esse scriptum, ubicunqve in COO reperitur, ut nonnullis visum fuit, arbitremur; quandoquidem etiam post HIPPOCRATEM judicia in hunc diem cecidisse in morbis epidemicis observarunt BAGLIVUS (*d*), MORTON (*e*), SYDENHAM (*f*), WINTERINGHAM (*g*), & Vratislavienses (*h*).

§. 27.

Vicesimus secundus ac tertius perinde obscuri sunt; in posteriorem incidit mors pueri THEODORI (*i*), priore autem easit CLEOCYDES (*k*): nam LEOPHORIDAS, cui 22^o die iudicium sudor attulit (*l*), siquidem hic jam die 21^o erumpere cœpit, ad hunc ipsum est referendus magis.

§. 28.

Vicesimus quartus rursus est decretorius, tamen pauca ejus judicia in COO

(*d*) l. c.

(*e*) l. c.

(*f*) l. c. p. 62. 221. sq.

(*g*) l. c. p. 51.

(*h*) l. c. A. 1699. p. 323.

(*i*) Epidem. L. 7. No 39. p. 1213.

(*k*) Ibidem No. 3. p. 1206. sq.

(*l*) Ibidem No 25. p. 1216.

reperias. Evasisit hoc die NICODEMUS (*m*), obiit vero Melibœæ adolescens (*n*); dubium autem de hoc die est in EURYANACTIS filia (*o*), pueroque METROPHANTI (*p*).

§. 29.

Vicesimus septimus pariter decretorius est e quaternariis (*q*), quo HERMOCRATES (*r*) e recidiva periit; EPICRATIS autem uxor (*s*) ac puerpera in Thaso (*t*) iudicatæ recidivarunt, perfecte vero Abderitana virgo (*v*) est iudicata. Ad hunc etiam diem est referendus AMPHIPHRADIS puer (*x*), ad 28um diem (i. e. sub finem 27mi) mortuus.

(*m*) Ibidem L. 3. S. 3. æger 10. p. 1103.

(*n*) Ibidem æger 16. p. 1117.

(*o*) Ibidem S. 2. æger 6. p. 1073.

(*p*) Ibidem L. 4. No 7. p. 1122.

(*q*) Vide §. 3 B.

(*r*) Epidem. L. 3. S. 1. æger 2 p. 1062.

(*s*) Ibidem L. 1. S. 3. æger 5. p. 979.

(*t*) Ibidem L. 3. S. 3. æger 2. p. 1096.

(*v*) Ibidem æger 7. p. 1103.

(*x*) Ibidem L. 7. No 14. p. 1215.

§. 30.

Tricesimus quartus post 6 prægressos obscuros vacuosque sequitur; nam etsi nonnulli eorum ad quaternarios pertineant, exemplis tamen fere carent. Hocce vero die APOLLONIUS (y) vivere desit, PARIUS (z) autem iudicatus recidit in morbum, ANAXION (a) vero e recidiva convaluit.

§. 31.

Quadragesimus etiam haud pauca numerat iudicia. Sic in 1^a Thasi constitutione (b) plerisque ad 40^{um} diem iudicabantur morbi. Perinde in 3^a ibidem constitutione (c) „ nonnullis ... 110^o „ die morbus decrevit, 14^o repetiit, „ perfecteque 200 iudicatus est. Quod „ si qui 29^o insuper rigore corripentur, „ tur, iis 40^o die morbus decrevit „ Ita etiam alibi (d) anginam epidemi-

(y) Ibidem L. 3. S. 3. æger 13 p. 1111. sq.

(z) Ibidem æger 1. p. 1093.

(a) Ibidem æger 8. p. 1104.

(b) Ibidem L. 1. S. 1. p. 941.

(c) Ibidem S. 2. p. 958.

(d) Ibidem L. 2. S. 2. p. 1016. sq.

cam ad 40um diem multis decurrentem descripsit. Circa hunc diem judicatus est ANTIPHON (e), & sub eundem periit CONONIS famula (f). CHARIS (g) quoque ad 40um melius habuit, licet 200 eum febris dimiserit. PARIS (h) quidem 400 judicatus est, at recidivam acquisivit; citra hanc vero convaleuit hoc die vir in DEALCIS hortu (i); PYTHIO (k) autem 100 die judicatus, 400 die suppurationem ani nactus est. Hocne etiam die judicatus censendus est CLAZOMENIUS (l)?

§. 32.

Quinquagesimus primus unicum PYTHODORUM (m) judicatum exhibet. Reliqui dies hunc sequentes exemplis carent usque ad *septuagesimum primum*,

(e) Ibidem L. 1. S. 2. stat. 3. p. 953

(f) Ibidem L. 5. No 84. p. 1106. & L. 7. No 98. p. 1214.

(g) Ibidem L. 7. No. 67. p. 1226.

(h) Ibidem L. 3. S. 3. æger 1. p. 1093.

(i) Ibidem S. 1 æger 3. p. 1065.

(k) Ibidem æger 1 p. 1059

(l) Ibidem L. 1 S. 3. æger 10. p. 985.

(m) Ibidem L. 7. No 4. p. 1207.

qvo FRATOLAI puero judicationis initia occeperē, exitus tamen ignoratur (n). *Septuagesimus quintus* ex HÆNII tabella METONIS (o) suppurati fanatique casum habet; sed criticus non est habendus.

§. 33.

Octogesimus autem unicam puerperam (p) enecuit, sanavit vero EPICRAIIS uxorem (q), & (ut videtur) CLFONACTIDEN (r); qvo etiam in 1^a Thasi constitutione quidam judicati sunt (s), neque secius in altera (t).

§. 34.

Centesimus HEROPYTHIO (v) saluti fuit; contra vero *centesimus vicesimus* PARIUM (x) post complures recidivas e medio sustulit.

(n) Ibidem No 5. p. 1207. sq.

(o) Ibidem No 101. p. 1234.

(p) Ibidem L. 3. S. 3. æger 2. p. 1096.

(q) Ibidem L. 1. S. 3. æger 5. p. 979.

(r) Ibidem æger 6. p. 982.

(s) Ibidem S. 1. p. 941.

(t) Ibidem S. 2. p. 945.

(v) Ibidem L. 3. S. 3. æger 9. p. 1106. sq.

(x) Ibidem æger 1. p. 1093.

§ 35.

Sunt porro apud HIPPOCRATEM haud pauci ægri præter enumeratos judicati, vel mortui quorum tamen judicationis obitusve dies sunt ambigui; ac omnes hi ægri reperiuntur in libris epidemicorum secundo, quarto, quinto ac septimo, quos non esse genuinos cōi sed alterius alicujus, inter omnes convenit. Hujusmodi autem ægri sunt MOSCHUS (y), typhomania laborans (z), ARISTOPHONTIS filia (a), ENMYRIS filia (b), mulier anginosa (c), POLEMARCHI (d) & EVXENI (e) uxores, & vir quidam (f), &c.

§. 36.

Ex his ergo exemplis abunde etiam patet, primarum trium hebdomadum cri-

(y) Ibidem L. 2. §. 3. p. 1010.

(z) Ibidem L. 4 No 9. p. 1122.

(a) Ibidem No 23 p. 1129.

(b) Ibidem No 40 p. 1138.

(c) Ibidem L. 5. No 104. p. 1162. & L. 7. No 20 p. 1215

(d) Ibidem L. 7 No 30. p. 1217.

(e) Ibidem No 58. p. 1224

(f) Ibidem No. 92. p. 1230.

ticos dies esse judiciorum numero vel maxime insignes. Et sane in constitutione illa etiam, cujus morbus in longum excurrerat, post caniculam oborta (g) febres, quæ judicatione solvebantur, non aliis diebus, quam 7^o 9^o 11^o 14^o 17^o 20^o, judicatæ fuerunt; quæ enim longius processere, vix judicatione solvebantur.

C A P V T IV.

INITIUM, MENSURA ET CAUSAE DIERUM CRITICORUM.

§. 37.

CUM ergo tantum sit in diebus his criticis observandis momenti, per se consequitur, eos rite esse supputandos; quem ad calculum bina utique scitu sunt vel maxime necessaria, sine quæis omnis calculus futurus foret erroneus, nimirum 1^o *initium morbi*, seu primus morbi dies accurate cognitus, a quo sequentes pendent, & 2^o *termini dierum* singulorum rite constituti, qui doceant,

(g) Ibidem I. 5. No. 72. p. 1157. & L. 7. No. 1. p. 1206.

ubi uno desinente alter occipiat. Cum enim diebus criticis Medico nihil sit molliendum, quævis ipsa natura operatur, sed vacuis tantum ille hanc ad facilius agendum disponere adjuvareque debeat; facile patet, errore in supputandis ita diebus admisso ægris perniciem accitum vel certe morbi diurnitatem protrahum iri. Et vero D. PANAROLUS (b)

„ pluries observavi (ait) propter ab-

„ sum enumerandi dies criticos magnos

„ commissos errores, dum Medici ali-

„ quando sumebant 15^{am} diem pro 14^a,

„ sæpe etiam 13^{am}: ex quo errore gra-

„ vissima insurgunt damna; nam si in

„ computatione criticorum dierum com-

„ mittatur erratum, salus ægrotantium

„ summopere periclitatur. Hippocrati-

„ ce supputandum censeo; quoniam

„ HIPPOCRATES loquendo de die

„ non intelligit de artificiali, sed tan-

„ tum de naturali, videlicet arcu diur-

„ no, atque hoc modo crises 7^a vel

„ 14^a perfecte contingunt. Si GALE-

„ NICORUM more supputaveris, cri-

„ ses aliquando accident in 6^a, aliquan-

„ do in 8^a, ut supra dictum est. Sed

(b) l. c. Pentec. 4. Obs. 5. p. 121. sq.

„ quoniam P. CASTELLUS de modo
 „ enumerandi dies criticos scripsit in li-
 „ bello proprio, & in commento apho-
 „ rismorum libri primi, eo te remitto. Id
 „ tantum moneo, quam plurimos Medi-
 „ cos errare, si GALENICORUM more
 „ supputaverint, ægrosque sæpius occi-
 „ dere. Hoc anno in quodam Medico
 „ celeberrimo observavi, qui 14^a die
 „ mane cucurbitulas scapulis applicari
 „ iussit scarificatas, credens esse 13^{am}
 „ diem; & hoc modo crîsum per uri-
 „ nam imminuentem cohibuit, ægerque
 „ 21^a die propter Medici erratum ob-
 „ iit, dum 14^a die crîsum jam apparen-
 „ tem compescuit, ex quo mors sub-
 „ secuta „

§. 38.

1. *Initium morbi* apprime determi-
 nandum observandumque esse ipse C O U S
 (i) inculcat dicens: „ observare ita-
 „ que primum diem oportet, quo æger
 „ debilis esse, & unde & quando ini-
 „ tium morbi cœpit; quod certe præci-
 „ puum cognitu existimatur „ Sed id
 ipsum determinare hoc opus hic labor

(i) De rat. vict. in morb. acut. p. m. 400.

sæpe est, ut omnes agnoscunt, & præsertim criticorum dierum adversarii plus justo contendunt. Interea difficultas hæc non alias nisi tum enascitur, dum dies decretorios ultra morbos febriles proferre contra COI mentem satagimus; in febris enim, præsertim acutis, manifesta sunt principia: „ conturbatur e-
 „ quidem homo, cum febricitat, illius-
 „ que rei indicium est horror, qui sub-
 „ inde per totum corpus impetu quodam
 „ fertur „ inquit COUS (k), & cum non omnis febris ab horrore occipiat, tunc generatim GALENO (l) monente
 „ morbi initium tempus illud ipsis pu-
 „ tandum est, cum manifesto febricitare
 „ incipientes decubuerint „. Fuscè hic Auctor confutat, quæ adversus hanc materiam ab aliis obmota tuere (m). Sed major hic oboritur ambiguitas alia circa primum diem supputandum in febris puerperarum, nimirum ab ipso-
 ne partus die vel febris invasione initium dierum criticorum sit petendum? Nam si COUM spectes, ille a febris invasione

(k) De morbis L. 4. p. 505.

(l) De dieb. decr. L. I. C. 6.

(m) Ibidem.

dies numerat, ut in UXORE PHILINI (n), & EPICRATIS (o), & DROMEADAE (p), mulieribus apud PANTIMEDEM (q), & quæ in mendacium foro decubuit (r); licet ZACUTUS (s) afferat in tribus postremis ab ipso partus die fieri computum: contra vero GALENUS (t) cum plurimis aliis suæ sectæ a die partus initium d sumi voluit, HIPPOCRATIS (u; verbis „ad eandem „ quoque rationem & mulieribus judi- „ cationes ex partu contingunt „ per- motus, qui prius dies criticos febriles percensuit; sed cum nusquam hac ratio- ne COUS suis in exemplis dies numera- rit; evidens est, non id ipsum voluisse, quod GALENUS existimavit; sed con- trarium potius, quasi dixisset: eodem computandi modo dies critici se habent in puerperarum febribus. Constituto sic primo die superest

(n) Epidem. L. 1. S. 3. æger 4.

(o) Ibidem æger 5.

(p) Ibidem æger 11.

(q) Ibidem L. 3. S. 2. æger 10. 11.

(r) Ibidem æger 12.

(s) l. c. p. m. 288.

(t) Comment. 3. in HIPPOCR. prognost. text. 10.

(u) Prognost. p. m. 44.

§. 39.

2. *Dierum limes* determinandus. Notum est, diem (ut de variorum populorum variis diebus dicam nihil) vulgo duplici sensu accipi, nempe vel pro tempore, quo sol supra horizontem moratur, vel pro nycthemero seu tempore 24 horarum, ita ut ab hodierno meridie ad meridiem crastinum dies effluxisse dicatur, atque huiusmodi dies est artificialis, qualem GALENUS passim (x) ab se intelligi inculcat, ita (y)

„ recordationem (inquit) in promptu
 „ semper habeas, nos in præsentia *diem*
 „ tempus id universum appellare, quod
 „ diem noctemque comprehendit: id
 „ ipsum quidam nycthemerum ... ap-
 „ pellant; & ea ratione dicunt annum
 „ constare diebus tercentis & sexaginta
 „ quinque & quarta etiam parte unius.
 „ Horæ itaque quatuor & viginti diem
 „ unum absolvunt,,. Hinc itaque si

(x) De comp. pharm. sec. locos L. 7. C. 2. Meth. med. L. 9. C. 1. L. 10. C. 2. De crisib. L. 1. C. 16. L. 2. C. 2. De septim. partu C. 1.

(y) Ad eos, qui de typis scripserunt Cap. 7. Opp. Cl. 3. f. m. 94. E.

per nycthemera dies morborum dime-
 tiendi forent, febrisque hodie CAJUM
 hora 2^a post meridiem corripere, se-
 cundus ejus dies cras post meridiem ho-
 ra 2^{da} inciperet, & sic porro. At vero
 non ejusmodi dies cōus accepit, sed
 prorsus naturales, ita ut in priore ex-
 emplo 2^a morbi dies crastino sole ori-
 ente jam, non vero a meridie primum,
 haberet initium. Hinc patet, diversos
 esse dies GALENICOS ab HIPPOCRA-
 TICIS, ut superius (z) dictum est;
 quamvis perquam sit veri simile, GA-
 LENUM dies criticos juxta HIPPO-
 CRATEM supputasse: secus crises non
 in eisdem utriusque dies tam exacte in-
 cidere potuissent.

§. 40.

Notandum autem hic venit, dies
 criticos extensionem quamdam habere
 in diei cum præcedentis tum insequen-
 tis etiam partem, adeo ut juxta GALE-
 NIUM (a) sive crisis incipiat diebus præ-
 edentibus diem criticum, & hoc finia-

(z) Vide §. 37.

(a) De dieb. decret. L. 1. C. 8.

tur, five decretorio incipiat, & alio post hunc finiatur, crisis tamen semper ad diem decretorium, non item ad alios referri debeat.

§. 41.

Causæ vero dierum criticorum frustra hæctenus fuere investigatæ: nullas adstruxit HIPPOCRATES; licet doctrinam hanc e doctrina numerorum PITHAGORAEORUM desumptam esse voluerit CELSUS (b). GALENUS (c) vero ab amicis rogatus, causam ut erueret, ex influxu astrorum repetere omne id tentavit; sed adeo parum suæ huic explicationi tribuit, ut Deos testes invocet, se ad eam scribendam non tam ratione convictum, quam precibus amicorum coactum manum appulisse (d). Quam parum autem seu numerorum seu astrorum vis hic possit, fuse persequitur ZACUTUS (e). Verum enim vero licet omnis hæc dierum criticorum doctrina e nulla hypothesi, sed tantum-

(b) De medicina L. 3. C. 5.

(c) l. c. L. 3.

(d) Ibidem C. 10.

(e) l. c. quæst. 11. p. m. 326. 197.

modo e fidelibus plurium ex ordine seculorum observationibus, proflexerit; haud defuere tamen, qui eam velut commentum cerebri, vel saltem velut foetum ignoratae melioris medendi methodi, esse sibi aliisque persuadere conati sint, eamque conquisito undique argumentorum exercitu profligare e medicina voluerint, quos inter acerrime rem gessit PUJATIUS (f): cujus proinde, ne quid intactum reliquisse dicar, argumenta hic paucis expendere satagam, idque (quo res connexa magis appareat) ordine catenae syllogisticae, quamvis isthaec non ad omnium hodie sit palatum.

C A P U T V.

PUJATII ARGUMENTA CONTRA DIES CRITICOS.

Observatio dierum criticorum est inutilis: ratio proinde illorum in morbis nulla est habenda.

P. Antec.

Observationes dierum criticorum sunt incertae: idcirco observatio illorum est inutilis.

(f) Dissert. med. quinta.

P. A. (g).

Ut doctrina ex observationibus fiat certa, istas oportet curatissime ad lectos ægrorum, quo tempore phænomena contingunt, notare, ne diu re dilata lapsu dein memoriæ alia, quàm quæ contigere, scribantur; at id *COUS* haud videtur vel fecisse vel facere potuisse: ejus itaque observationes dierum criticorum sunt incertæ.

P. m. (b)

Pluribus locis ipse *COUS* hanc suam seu incuriam seu impossibilitatem fateatur (i): ergo non videtur in notandis rite diebus fuisse accuratus.

R. Trauseat A. & N. C. nam loca illa, quæ *PUJATI* adducit, sunt ex epidem. L. 2. 4. 5. 7. quorum Auctor ignotus est; sed demus illa esse *HIPPOCRATIS*, hæc ipsa innunt, illum, quæ certa non te-

(g) Ibidem No 14.

(b) Ibidem No 15. 199.

(i) Epidem. L. 2. S. 2. p. 1010. *nescit*, quo die pruritus *SERAFIDI* non sit progressus. L. 4. No 9. p. 1122. *nescit*, quo die typhomaniam metastasis solverit. No 40 p. 1138. *nescit*, an circa 8um diem *ENMYRIS* filia pus ex aure fluxerit, &c. Confer §. 35.

nuit, pro certis obtrudere noluisse: ut ergo, ubi determinate loquitur, tanto ei plus fidendum sit; præsertim cum observationes illius posteriora quoque secula veras esse per experientiam deprehenderit.

P. C.

Si doctrinam dictam ex accuratis cōi aliorumque observatis nata fuisset, dierum criticorum causam aliquam veram existeret oporteret; nulla vero causa ejusmodi existit: nequit igitur doctrina dierum criticorum ex accuratis observationibus nata dici.

P. m.

Causa dierum criticorum vel externa vel interna esset; verum nec hæc nec illa esse potest: idcirco nulla existit.

P. m. (k)

Si externa foret, quærenda esset vel in natura numerorum mysticorum, præsertim septenarum, cui HIPPOCRATES (l) multum tribuit, vel in astro-

(k) Diff. cit. No. 20. 28. 52. sqq. 60.

(l) „Hominis autem vita 7 dierum numero circumscribitur, &c. De carnib. p. m. 253, & „dies igitur inter alios maxime „insignes sunt primi & septimi, ac multum quidem in morbis, multum etiam „in factibus possunt, De octim. par. 4 p. 257. & de Critib. p. 53.

rum influxu, in quo eam quæsitit GALENUS (m); at in neutro horum quæri potest: nulla itaque externa causa dierum criticorum esse potest:

R. C. totum; nam causam dierum criticorum nec HIPPOCRATES in numerorum mysticorum natura, nec GALENUS in astrorum influxu (ut §. 41 dictum est), sed ambo eam in natura ipsa reposuere.

Ex concessis.

Si dierum criticorum nullæ dantur causæ externæ, internæ eæ sint, est necesse; atqui ne hæc quidem ullæ sunt: hinc nulla eorum existit causa.

P. m. (n)

Interna id genus causa nulla alia esset, quam periodicus humorum motus quidam, & secretio (nam FRACASTORII humorum quaternarius, & VALLERIOLÆ sympathia humorum, &c. mera figmenta sunt); ab his autem critici dies neutiquam provenire possunt: unde ne interna quidem ulla erit ipsorum causa.

P. m.

(m) De dieb. decret. toto libro 3.

(n) Diss. cit. No 29. 199.

Critici dies ab eadem causa pendent, a qua ipsa pendet crisis; hæc vero non pendet ab ullis periodicis motibus ac secretionibus humorum: hinc nec illi.

P. m. (o)

Crisis pendet a coctione; ast hæc nullatenus provenit ab id genus periodicis motibus ac secretionibus: ergo nec crisis, nec dies critici inde pullulant.

P. m.

Coctio fit a viribus vitæ (seu potentiis humorum circulationem efficientibus) & humorum varia discrasia: proinde & crises. Verum nec vires vitæ agunt periodice, nec ab his periodice patitur humorum discrasia: quapropter neque coctio neque crisis a dictis periodicis motibus ortum habent.

P. m. (p)

Vires vitæ juxta ac dyscrasia humorum pendent a temperamento, ætate, sexu, victu, cælo, &c. quæ autem nullis reguntur periodis: hinc nec virium

(o) Ibidem No 30.

(p) Ibidem No 31. & P. D. GISEKE Abhandl. u. Beobacht. der Hamburg. Gesellschaft, von Aerzten No 12 p. 162.

vitæ actio, nec passio humorum, ad periodos fiunt.

R. D. M. pendent inde quoad essentiam suam & indolem agendi N. M. (ex indole enim sua agunt periodice) quoad-variā suam intensitatem solummodo inde pendent C. M. sic etiam D. m. & N. c. Ratio est, quod infinita videamus in homine cum sano tum ægroto stas fieri temporibus, quorum quia causa externa nulla est, interni motus periodici humorum causa esse debent.

P. C. c. D.

Si qua ratio esset, cur vitæ vires ac subactio dyscrasiæ humorum quoad essentiam ac indolem agendi non tam a temperamento, ætate, &c. quam potius a motibus humorum periodicis repeti debeant, haud alia foret, quam quod varia alia earum phænomena in corpore humano ad certas periodos contingere videamus (v. g. quod dentes, pili, semen, menses, &c. stata erumpendi tempora observent, quæ plerumque per septenarios hebdomadam, mensium, annorumve accidunt); sed hæc ratio ex analogia petita nil hic probat: ergo virium vitæ actio & subactio dys-

crasæ humorum ne quoad essentiam quidem a motibus humorum periodicis repeti possunt.

P. m. (q)

Omnia allata phænomena, si rite observentur, deprehenduntur non exacte periodice contingere: quapropter petita ex eorum analogia ratio hic nil probat pro periodica virium vitæ in coctione, crisi, ac diebus criticis, actione.

R. D. A non deprehenduntur exacte periodice contingere i. e. ad diem & horam, C. A. i. e. intra terminos suos homogeneos hebdomadam, mensium, annorum, licet quoad dies ac horas variant, N. A. & Conf. Nam quemadmodum menses, dentes, pili, semen periodos hebdomadam, mensium, annorumve a periodicis humorum motibus nanciscuntur, ita etiam coctio, crisesque periodos dierum certorum a motibus periodicis humorum adipiscuntur.

P. C. c. D. ex concessis

Phænomena dicta non contingunt exacte periodice ad diem ac horam: ea

ipſo igitur petita ex illorum analogia ratio nil evincit pro periodica vitæ virium in coctione, criſi, diebusqve criticis actione.

P. C

Hoc ipſo quod phænomena dicta non ad diem & horam periodos obſervent, harum periodorum termini eam habent latitudinem, quam dies critici habere nequeunt; quod ſi ita ſit, tunc hoc ipſo quod non obſervent periodos ad diem ac horam, nil evincunt pro periodica virium vitæ in coctione, criſi, diebusqve criticis actione: nil ergo hæc phænomena pro periodica virium vitæ actione relate ad dies criticos evincunt.

R. D. M. eam habent latitudinem, quam dies critici nequeunt habere in eadem menſura hebdomadam menſium vel annorum, C. M. in proportionata ad ſuas periodos menſura, N. M. ſic D. m. N. C. Nam ſicut prima catamenia ſecundo annorum ſeptenario ingruunt, cujus totalis menſura eſt ſeptennium, & quocunqve ejus anno contingant, dicuntur ſecundo ſeptenario veniſſe: ita etiam criſis die 7^o contingens, cujus totalis menſura eſt 12

vel 24 horarum, quacunque hora ejus diei contingat, dicitur die 7^o accidisse.

P. C. c. D.

Si Phænomena mensium, dentium, &c. ne secundum latos quidem suos terminos periodice semper accidunt, nil evincunt pro periodica virium vitæ relate ad dies criticos actione; at enim phænomena hæc non semper vel ad latos illos etiam suos terminos periodice contingunt: unde nil evincunt pro periodica virium vitæ relate ad dies criticos actione.

R. D. M. si non semper accidunt periodice ita, ut raro tantum periodum observent, C. M. ita ut plerumque eam observent, N. M. Sic etiam D. m. N. c. Nam idem quoque interdum in diebus criticis, at rarius, accidere iu confessio est.

P. C. c. D.

Si ab ejusdemmodi viribus vitæ periodice agentibus penderet dierum criticorum ratio, uti phænomena mensium, &c. tunc non esset ratio, cur crises certis tantum diebus salubres sint, aliis minus; sed si sic, tunc ratio dierum criticorum ab id genus viribus non potest pendere: ergo ratio dierum cri-

ticorum a dictis viribus pendere nequit.

P. M.

Hoc ipso quod catamenia pendeant a periodica virium vitæ actione, eorum excretio nequit mala dici in iis, quæ omni nova luna fluunt, nec melior, quæ plena luna aliis venit: ergo etiam in acute febricitantibus v. g. sudor hoc ipso quod pendeat a periodica virium vitæ actione, nequit dici melior, quæ 7^o die erumpit, quam quæ 6^o die advenit.

P. C. (r).

Ideo *primum*, quia ratio utriusque periodi tota est in sola feminarum A. B. datarum diversa corporis constitutione, vi cuius uni A in nova luna, alteri B plena luna, eodem cum effectu catamenia profluunt; atque etiam tota ratio, cur duorum ægrorum A. B. sudor uni A die morbi 6^o, alteri B die 7^o erumpat, est in sola majore minoreve ad sudandum proclivitate, e diversa corporis fabrica τ^s A & B oriunda: ergo si *primum* verum est, erit & *alterum* verum.

P. m.

Quoad mensium fluxum diverso tempore in datis feminis A. B. evenientem tota ratio, cur diversis temporibus eodem cum effectu redeat, est sola diversa corporum A. B. dispositio: ergo etiam quoad sudores acutorum, cur æger A uno die maturius præ altero B sudet, tota ratio erit in diversa amborum ad sudores proclivitate. At vero varietas hæc temporis a varia corporis dispositione orta nullum salubritatis discrimen causat in fluxu catameniorum: ergo nec discrimen salubritatis causabit in sudore diei 6^{ti} ac 7^{mi}.

R. N. M. sequelam. Primum enim de sanis verum est, non item alterum in ægris: nam in hisce præter naturam proclivitatem etiam materiæ morbosæ, plus minus fluxilis & plus minus humoribus unitæ copia varia adest, a qua diversus sudorum effectus proficiscitur. Quod inde patet clarius, quod non omnis sudor (nulla licet dierum habita ratione) sit levans; sunt enim sudores symptomati, qui scilicet carent adhuc materia morbi, & hi soli pendent a majori minorive ad sudandum proclivitate: critici autem a

materia morbi simul admista, quæ prius debuit subigi, & ad quam subigendam certus dierum numerus e legibus naturæ a DEO corporibus præscriptis requiritur. Porro & nobis licet a fluxu mensium ita arguere: si menses eidem feminæ A vel anticipent vel postponant, sunt pejores, quam qui statis terminis fluunt: ergo idem de sudoribus febrilibus e legibus naturæ verum erit.

P. M. sequelam.

Nulla ratio assignari potest, cur morbosa materia intra determinatum dierum numerum subigi, & certis tantum diebus, non vero quocunque die, bono cum effectu evacuari debeat: ergo adhuc si tota ratio diversis temporibus fluentium mensium diversis feminis est, sola diversitas dispositionis corporis, erit etiam in acutis febribus sudoris diversis diebus moti tota ratio sola diversa corporum ad sudandum proclivitas.

R. D. A. nulla ratio assignari potest ideo, quia nulla datur, N. A. quia non dum detecta est C. A. & N. C. Porro *retorquemus* argumentum hoc modo: nulla ratio assignari potest, cur morbosa materia in febris inter-

termittentibus, præsertim larvatis, omni nycthemero, vel omni 3^o 4^o die moveatur, non vero promiscue: ergo rem fieri negandum est? Unde sicut isthoc negari nequit, cum experientia id fieri doceat, licet causa ignoretur, ita etiam res in crisi- bus, crifimisqve diebus est admittenda. Sane tota PUJATI differtatio a No 28 ad suum usque, nec verbo fere mutato, reversionibus febrium intermittentium applicari potest, quin propterea quidquam contra illas inde evincatur.

P. C. c. D.

Si causa quædam vera, etsi adhuc ignota, periodicorum id genus motuum daretur, a quævis crises bonæ diebus crifimis fierent, sicut certis diebus reversiones febrium intermittentium a causa ignota fiunt, tunc sicut in his dies reversionum certo indubieqve calculari possunt, ita certa etiam deberet posse fieri calculatio dierum crificorum; verum hæc admodum est dubia ac sublesta: ergo horum tam vera causa non videtur dari, sicut reversionum in febribus intermittentibus.

P. m.

Calculatio criticorum dierum a binis rebus pendet, nempe 1) a principio morbi rite cogito, 2) a certa & constanti dierum criticorum mensura; sed ambo hæc incerta sunt: proinde supputatio quoque dierum criticorum erit incerta.

P. m. (s)

Principium morbi sæpenumero ab ægro notari nequit (secus omnis morbi initium sensibile esse deberet): unde isthoc incertum sæpe est; sed nec certior est mensura dierum criticorum: idcirco utrumque est incertum.

R. D. M. morbi qualiscunque principium remotum & ad calculum non pertinens sæpenumero notari nequit, C. M. proximum autem febris acutæ sensibilibiter invadentis, in qua sola dies criticos co u s adhibet, nequit notari, N. M. (Confer §. 38.) & conf. M. & perinde N. m.

P. m. (t)

Si dierum criticorum certa haberetur mensura, illa esset dies vel natu-

(s) Dissert. cit. No 24.

(t) Ibidem No 25. 699.

ralis vel artificialis ; verum neutrum dici potest : nulla ergo certa dierum criticorum habetur mensura.

P. m.

Non potest esse dies naturalis mensura dierum criticorum ; secus sic noctes a crisi bus excluderentur contra omnem experientiam. Sed nec artificialis, cum hic variis populis sit varius : ergo neuter horum dierum poterit esse mensura dierum criticorum.

R. N. M. quia NOX semper ab HIPPOCRATE, qui eam a die claritatis tantum causa sejunxit, ad diem vel precedentem vel sequentem referitur. Et hos ipsos dies naturales COUS pro mensura dierum criticorum assumpsit, ut §. 39. pluribus dictum est. Quod ad minorem attinet, perinde negari posset ; siquidem hi dies civiles varii facile utique ad naturales reduci possint : plura utique intricatiora, quæ ad mensuras præsertim cavas Veterum pertinebant, reducta sunt, & quæ ad ipsa tempora astronomica etiam spectabant. Sed cum per dies naturales sit simplicissima methodus dies criticos supputandi, secundum quos ipsa etiam natura opera-

tur, non est hic opus ulla difficultate superanda; omnibus enim populis dies naturales iidem sunt, qui erant HIPPOCRATI.

P. M.

Si mensura dierum criticorum semper esset dies naturalis; GALENUS eos non fuisset mensus per nycthemera artificialia computata ab hora febris invadentis; sed ille dies criticos metiebat per nycthemera dicta: unde mensura criticorum dierum non potest esse dies naturalis. (Quomodo enim GALENUS cum COO in eorum observatione exacte convenisset?)

R. N. m. GALENUS quidem (ut §. 39. vidimus) diem in Opp. suis passim pro nycthemero accipit, sed ita, ut per illud intelligat tempus conflatum e die naturali cum ejus nocte, quæ ambo sunt = 24 horis; quod ipsum etiam HIPPOCRATES fecit. Quod autem GALENUS in supputatione dierum criticorum adhibuisset nycthemera artificialia ab hora febris invadentis computata, nusquam quis ex Opp. ejus id evincit. Fecerunt id postea ejus Sectatores, male mentem GALENI affecuti; at non sine

noxa, ut superius (§. 37.) meminimus: atque hic forte error multis occasionem præbuerit de veritate dierum criticorum dubitandi.

P. m.

GALENU S dies criticos debuit metiri per nycthemera artificialia: ac proinde reipsa ita eos est mensus.

P. A.

Tunc debuit GALENU S dies criticos per nycthemera artificialia supputare, quando supputatio per dies naturales erronea fuisset; at fuisset erronea: debuit ergo per nycthemera artificialia supputare.

P. m.

Supputati dies critici per dies naturales non respondent observationibus HIPPOCRATIS circa dies criticos factis: ergo vel supputatio dierum criticorum per dies naturales est erronea, vel tota illorum doctrina falsa, vel observata iis contraria non sunt vera.

P. A. (u)

Observationes Ejus versantur circa dies vel impares vel pares vel quater-

(u) D.fert. cit. §. 5. 6.

narios; sed hisce supputatio dicta non respondet: ergo supputati dies critici per naturales non respondent observationibus COI circa eosdem factis:

P. m.

Observatio COI de imparibus paribusque ita sonat: „ quæ diebus paribus
 „ invasiones habent, ea diebus paribus
 „ decernunt; quorum vero accessiones
 „ imparibus diebus fiunt, ea imparibus
 „ judicantur „ (x); sed huic observationi dierum criticorum per naturales supputatio non respondet: supputati igitur dies critici per naturales observatis COI non respondent.

P. m. (y)

I. Apud eundem HIPPOCRATEM
 „ PHILISCUS ex ægrotis descriptis
 „ primus (z) die 6^{ta} obiit. Hic dicitur
 „ exacerbationes diebus paribus habuisse
 „ se. Si exacerbationis nomine venit
 „ paroxyfmi ingravescentia & status,
 „ verum est PHILISCUM exacerbationes
 „ diebus paribus habuisse; sin
 „ per exacerbationem nova accessio no-

(x) Epidem. L. 1. S. 3. p. m. 964.

(y) Dissert. ct. §. 22. No 1. p. 211.

(z) Epidem. L. 1. S. 3. æger 1. p. 966.

„ vusque paroxysmus intelligendus est,
 „ haud verum est die pari exacerbatio-
 „ nes factas fuisse. Examini rem subjicia-
 „ mus. Æger 1^a die febre cum sudore
 „ corripitur : noctem male habuit ; gra-
 „ viusque die 2^a degit (febris statum
 „ adeptæ erat). Vespere hujus diei al-
 „ vus clystere evocata est : noctem quie-
 „ te traduxit. Die 3^o ad meridiem us-
 „ que prope liber a febre. Ecquis non
 „ videt , febrem hanc , quam tertiam
 „ continuam nos vocaremus , tunc in
 „ remissione fuisse ? Ad hujus diei ves-
 „ peram febris acuta cum sudore (en
 „ nova accessio !) : nox laboriosa. Quar-
 „ to omnia graviora (en denuo febris
 „ in statu !). Cum tamen nox tolerabi-
 „ lior , & urinæ melioris coloris essent,
 „ satis apparet , febrem remissionis vi-
 „ cem subiisse. Hæc tamen eo non per-
 „ venit , quo antecedenti paroxysmo ;
 „ quia morbi universale incrementum
 „ aderat. Quintam nox laboriosa cum
 „ letalibus signis excepit. In altera
 „ febris accessio , in cujus vigore &
 „ statu universali morbi 6^{ta} die obiit.
 „ Falsum igitur eos impari die emori,
 „ quorum morbus impari die movetur. „
 Porto

2. „ ERASINUS (a) æger octavus
 „ accœna vehementer febricitavit. Diem
 „ iam quiete : 2^a omnia exacerbata
 „ sunt : 4^a molestissime : 5^a ad solis
 „ occasum migravit ad plures. Ille exitus impari die contingens in ægritudine , quæ paribus movebatur , cum nequaquam GALENO placeret , primum diem morbi non enumerandum putat ; quia ERASINUS quiete habuit : id nemini credibile foret , nisi GALENUS ipse eloqueretur (b)
 „ *quintus itaque , quo decessit , non enumerato primo , quartus efficitur.* Mirabar quondam DURETUM (c) docuisse , in morbis acutis ita dierum rationem ineundam esse , ut non numerandi sint a die , quo morbus exercitus est , sed a quo *celeriter & vehementer* moveri cœpit ; at mirari desii , postquam in GALENO commentarium super ERASINI casu perlegi ,
 Tum

3. „ HEROPHON (d) æger tertius
 „ 9^a ad salutem judicatus est , licet pa-

(a) Ibidem æger 8. p. 984.

(b) Comment. 3. in epidem. L. 1.

(c) Ad Coacor. 10. & 20.

(d) Epidem. l. c. æger 3. p. 974.

„ roxysmus in dies pares incideret. En
 „ HIPPOCRATIS verba : 7^a *perstri-*
 „ *gerabatur*, 8^a *febricitavit* „.

4. „ PHILISTES (e) in Thaso,
 „ qui obiit 5^a, aperte ex textu diebus
 „ paribus habuit exacerbationes „.
 Tandem

5. „ Anginosa apud BITONEM (f)
 „ 4^a die occubuit, licet febris, quæ
 „ illam exercuit, alternis accessisset.
 „ Quæ cum ita sint, quid quæso proxi-
 „ mo tradito canone falsius? Quid uni-
 „ versa doctrina incoherentius? Quid
 „ factis, quibus innititur, inconstan-
 „ tius? Vix possum, quin aperte
 „ dicam:

incerta hæc si tu postules

Ratione certa facere, nihilo plus agas,
 Quam si des operam, ut cum ratio-
 ne insanias (g).

Hæc PUJATI. Ad quæ

R. Nullibi ita Cl. Virum quæ proter-
 viam, quæ malitiam, quæ incitiam o-
 stendisse, quam hisce in historiis earum-

(e) Epidem. L. 3. S. 2. æger 4. p. 1070.

(f) Ibidem æger 7. p. 1075. (aliis apud
 ARISTIONEM).

(g) TERENTI. in Eunuch. Act. 1. Sc. 1.

quæ epilogo. Ad singulas itaque citatas
 COI historias hic responsum dandum.
 Quod ad PHILISCI morbum attinet,
 miror admodum PUJATIUM, qui tam
 pauca, nec alia, quam quæ in rem
 ejus erant, in illo viderat. COUS ait:
 „accessiones diebus paribus invase-
 „runt „; negat PUJATI, ac nescio
 qua fronte statum febris pro ejus exa-
 cerbatione a COO perperam esse habitum
 contendit, quasi PUJATI non COUS
 ægrum vidisset, curassetque, & 3^{na}
 continuam adfuisse vult, quæ impari-
 bus diebus reversiones faciens die pari
 ægrum jugularit. Sed quæro ex illo: 3^{na}
 illa continua simplexne, an duplex
 fuerit? Quidquid horum PUJATI dixe-
 rit, causa cadat, oportet. Si enim
 3^{na} fuit, erat intermittens febris, quæ
 non secundum dierum sed paroxysmo-
 rum numerum judicantur, i. e. soli pa-
 roxyfici dies hic sunt supputandi juxta
 COUM; in his vero febribus 3^{nis} dies
 impares sunt decretorii in vitam vel
 mortem. Si ergo PHILISCI morbus
 fuit 3^{na} simplex, cujus singuli paroxy-
 smi durabant pene 36 horas, aut am-
 plius, tunc æger periens die 6^o perit
 tertia accessione, i. e. impari die paro-
 xystico, quod accessiones diebus impa-

ribus advenerint: sin vero 3^{na} illa duplex fuit, tunc æger obiit invasione 6^{ta} relate ad summam omnium invasio- num, 3^a vero relate ad invasiones diei 2^{di}, 4^{ti}, 6^{ti}: ergo rursus die 3^o paroxystico impari, siquidem imparibus die- bus 3^{narum} paroxysmi redeunt; nam re- late ad alteram illam tertianam diebus morbi totius in concreto paribus invasio- nes habentem 2^a morbi dies est 1^{ma} 3^{nae} illius secundæ, &c. Unde liquet, ne sic quidem COUM sibi, aut naturam illi, contradixisse. At nos malumus credere COO, febrim hanc fuisse acutam continuam remittentem cum exacerbationibus dierum parium. Quod si PHILISCI loco PUJATI objecisset conju- gem DROMEADAE (b), quæ impari- bus diebus a febre plus afflicta die 6^{to} pari vivere desit, plus forte profecisset hoc exemplo. Sed ERASINI mor- bus est indubius, cujus impari scil. 5^o ille periit, licet exacerbationes fie- rent diebus paribus? Ne hic quidem omnia sunt indubia. HIPPOCRATES sane nullarum hic exacerbationum me- minit, nisi quod 1^a dies fuerit post la-

(b) Epidem. L. 1. S. 3. Æger 11. p. 937.

boriosam noctem quæta ; a 2^a vero nocte morbus perpetuo crevisse narratur usque ad diem 5^{am}, cujus mane melius æger habuit , sub solis occasum autem extinctus est. Sed cur subdole PUJATIO reticuit , ægrum 3^o die laboriose habuisse , nonne ut sic morbus appareat fuisse remittens , cum exacerbationibus dierum parium ? qui tamen nihil minus quam talis fuit. Quod autem se hic torserit GALENUS , ut morbum hunc gravem ad quatrimum reduceret , non erant in causa exacerbationes dierum parium , de quibus ne GALENUS quidem ad hunc locum somniat , sed ut salvaret sententiam COI , febres malignissimas intra 4 dies vel citius finiri dicentis (i) ; quod tamen tanti non est. In morbo autem HEROPHONTIS omnia ultro PUJATIO damus , modo & ille nobis det , casum hunc plus pro dierum criticorum doctrina , quam contra eandem , esse ; nam vel non fat meminit , vel meminisse noluit isthuc observationis HIPPOCRATICAE recidivas concernentis , quam superius (k) dedimus : hinc cum

(i) Prognost. p. m. 44.

(k) Vide §. 3. A textum COI de diebus paribus & imparibus ex Epidem. L. 1. p. 965.

æger iste diebus paribus exacerbationes
 nactus die 9^o impari fuisset iudicatus,
 non vero die pari, ut oportebat, die
 5^o post recidivam est passus, & 16^{um}
 morbi diem nocte sequente (velut COUS
 scribit, „ noctū sudore oborto ad 17^{um}
 „ diem,„) iudicatus fuit. At PHILIS-
 TES obiit 5^a; aperte ex textu diebus
 paribus exacerbari solitus? Ex quo id
 textu apertum esse ait PUJATI? HIP-
 POCRATES certe ea de re ne verbum
 quidem; qui alioquin ad calcem id ge-
 nus ægrorum plerumque adjicere solet,
 ubi paribus vel imparibus diebus fie-
 bant accessiones. Historiæ vero con-
 textus tantum abest; ut id aperte ex-
 hibeat, ut multo potius contrarium inde
 eruere sit; ægro enim 1^a die febrili ac-
 cidit vomitus, 2^a surditas, febris acuta,
 urinæ tenues; &c. 3^a permoleste ha-
 buit, 4^a exasperata omnia cum convul-
 sione; 5^a sub matutinum obiit. At nus-
 piam PUJATIUS impegit magis, quam
 in anginosæ morte, quam die 4^o acci-
 disse credit, contra omnium codicum
 fidem, qui nuspiam die 4^o eam obiisse
 ponunt; sed CORNARIO duce hic im-
 pegit PUJATI, siquidem prior COUM
 latine reddens, periodum ἔ, ἀπέθανε κυ-
 νιχικῆ neglecto ἔ, numerum 5 seu diem

quintum notante, reliquum vertit *mortua est anginosa*, dum vertendum erat: 5^o die *mortua est anginosa*. Unde „diem „ (inquit FOESIUS) omisit CORNARIUS, mortemque ad quartum retulisse videtur, consentientibus tamen „ in eo recipiendo omnibus codicibus, „ etū quidam paululum characterum significatione variant „ (1). Quod si vero anginosa hæc die 5^o supremum obiit diem, frustra hunc casum PUJATIUS doctrinæ dierum imparium opposuit, ut qui cum illa exacte cohereat.

P. m. penult. contra Resp. ad ult.

Si dies critici per naturales computati responderent observationibus eorum circa dies pares ac impares, dies criticos oporteret esse certos ac stabiles; neutiquam vero certi sunt ac stabiles: ergo non dum dies critici per naturales computati respondent observationibus dictis circa dies pares & impares.

P. m. (m)

Tamdiu nequeunt dies critici dici certi ac stabiles, quamdiu doctrina HIPPOCRATIS de illis sibi ipsi non con-

(1) Opp. HIPPOCR. T. 2. p. 1076.

(m) Dissert. cit. §. 8.

stat; sed hæc sibi non constat: neque-
unt itaque dies critici esse certi ac sta-
biles.

P. m.

HIPPOCRATES I) dies quosdam
uno loco inter criticos refert, quos
alio loco ex iisdem omittit, imo alios
substituit. Talis est dies vicesimus,
quem inter quaternarios ut criticum po-
nit (*n*) uno loco, alio vero (*o*) ejus in
locum diem 21 ponit dicens „judican-
„tur autem febres 4^o die, 7^o, 11^o,
„14^o, 17^o, uno & 20^o. Ex his vero
„acutis 30^o, deinde 40^o, postea 60^o„.
Imo ne 40^{us} quidem ei stabilis est ob
hebdomadam duplicem computandi ra-
tionem, quarum unam præscribit fieri
ita, ut secundæ hebdomadis cujusvis
dies ultimus simul sit primus 3^{tiæ}, ut
superius (*p*) vidimus, quo in casu vice-
simus & quadragesimus dies est criti-
cus; altera vero ea est, ut plenis he-
bdomadis fiat computatio, in qua 3^{tiæ}
hebdomadis ultimus dies non erit jam
20 sed 21, & 6^{tiæ} hebdomadis non erit

(*n*) Vide §. 3. B.

(*o*) De dieb. judicator. p. m. 58 sub finem.

(*p*) Vide §. 3. B. tabellam.

ultimus dies 40, sed 42. Colliguntur hæc ex ejus scriptis de carnibus (g) & de partu septimestri (r); nam isthic „judicantur... quintanæ (ait) 18 diebus, hoc est duabus hebdomadis & dimidia „; ibi vero monet medicum, „ut omnes dies in contemplationem „adhibeat, ex paribus vero 14^{um} & 28^{um} & 42^{um} „. Sed nec 28^{us} hic locum pro 27^o, nec 42^{us} pro 40^o obtineret, nisi hebdomadas non jam confluentes, sed, ut in natura sunt, disjunctas sumeret COUS, neque 18 dies pro 2 $\frac{1}{2}$ hebdomadis habere potuit, nisi principio hebdomadis 3^a a fine 2^a sejuncto. 2) Diem 14^{um} jam parem facit, jam impari; impari, dum eum inter pares criticos refert (t), impari vero, dum eum inter impares, quævis sudores & icterum esse salutare ait, (scil. 3. 5. 7. 9. 11. 14. 17. 21. 27. 31. 34), accenset (s). Quæ cum ita sint, doctrina HIPPOCRATIS de certis diebus criticis statuendis sibi non constat.

(g) Opp. T. I. p. m. 254.

(r) Ibidem. p. m. 257.

(s) Vide §. 3. A.

(t) Vide §. 4.

R. Omnia PUJATI suos in usus vertit, & erronea scribarum non COI culpa, & aliena. Superius jam (u) dictum est, quantopere MSS codices circa hos ipsos dies criticos in Græco literis alphabeti scribi solitos discrepent, idque non utique COI sed scribarum errore; quid mirum ergo, si & locus ex libro de diebus criticis allegatus pro viatiato habeatur, & a librario pro 20 positus sit 21 numerus? Suspicio hæc est fundatissima; nam ubique alibi inter quaternarios COUS diem 20^{um} non 21^{um} ponit; cur ergo hic idem non fuisset facturus? Et cum in eodem textu 40^{us} & 60^{us} reperiatur, evidens est signum, hebdomadas a COO hic non fuisse sejunctas: si autem sejunctæ non sint, qui potuit dies 21^{us} a COO pro 20^o poni? Aliud autem est, dum inter impares 21^{us} reperitur non 20^{us}, ut unus quisque videt; quia pares & impares non numerantur per combinationem hebdomadam. Quod vero ad loca ex libris de carnibus & partu septimestri attinet, probandum prius restat PUJATIO, quam inde aliquid contra dies criticos

(u) Vide §. 3. A.

evincat, hos libros esse genuinos HIPPOCRATIS; si minus, cur aliena COS objicit? Nihilque moramur illos, qui multum de 20^o ac 21^o die, ut apud ZACUTUM (x) videas, litigarunt. Quod vero ad diem 14^{um} attinet, nugæ agit PUJATI; sit par, sit impar, nil refert, modo icterus ac sudores in eum incidentes sint critici ex observatione COI, qui nusquam illum pronunciat esse imparrem: & quod illud absurdum est, dicere eundem numerum esse jam parem jam imparrem pro vario numerandi initio? Par utique erit, si ab unitate ad 14 usque numeros, impar vero si ab 8^{vo} die pro unitate assumpto numerandi ordo ineatur; secus absurdum quoque esset 8^{um} diem pro primo 2^{dæ} hebdomadis sumere, si absurdum sit 14^{um} esse hujus hebdomadis diem 7^{um}, quod nemo nisi violente absurda in non absurdis querens dixerit, seu nisi quis juxta PUJATIUM cum ratione insanire velit.

P. m. penult.

Si doctrina COI circa dies criticos sibi ita constaret, ut hi sint certi & stabiles, certitudo hæc eorum ac stabi-

(x) l. c. qvæst. 10. p. m. 318. 199.

litas deberet esse demonstrabilis per experientiam; sed non est: ergo non dum doctrina COI ita sibi circa hos dies constat, ut hi sint certī ac stabiles.

P. m. (y)

Longa omnis ævi Clinicorum experientia circa varios horum dierum admodum discrepat: ergo horum dierum a COO statutorum certitudo ac stabilitas per experientiam non est demonstrabilis.

P. A.

Discrepantiæ sunt sequentes:

1. Dies 1 & 2 morbi a DIOCLE inter criticos refertur (z), quos nemo alius ut criticos vult agnoscere.

2. Hebdomadam tertiam a secunda disjunctam volunt DIOCLEPS & ARCHIGENES, quas COUS conjunxit; siquidem dies 21^{um}, 28^{um} præferant diebus 20^o, 27^o, teste GALENO (a), quod fit per disjunctionem hebdomadam.

3. Diem 6^{um} ex COO suaque experientia GALENUS damnat (b); quippe

(y) Dissert. cit. §. 10. sqq.

(z) Vide §. 8.

(a) De dieb. decret. L. 1. C. 10.

(b) Vide §. 12.

quo raro unquam salubris, fidaque crisis accidisse visa sit: alii contra die 6^{to} plurimas bonas crises viderunt. Sic L. RIVERIUS (c) in febribus malignis A. 1649-50 epidemicis observavit, eos omnes, qui evaserunt, die 5^o & 6^o sudasse; & licet recidivas ferme omnes perpessi fuerint, omnes nihilominus evasisse. G. BALLONIUS (d) narrat virum nobilem a pleuritide per sudorem die 6^o fuisse judicatum. Quid quod GORDONIUS apud AMATUM (e) e propria experientia testetur, in sanguineis morbis diem 6^{um} magis esse criticum die 7^o? Unde etiam D. PANAROLUS (f) pluries crism perfectam absque ulla recidiva observavit tum 6^{ta} die tum 8^{va}. Imo

4. AVERRHŒS (g) cum e suis tum aliorum observationibus nihil in diebus criticis *COI* præ aliis virtutis plus reperit; cujus etiam testimonio RHASES (h) observationibus in nosodochio

(c) Cent. 4. Obs. 98.

(d) Ephem. & epidem. L. 1. Constit. 4.

(e) De dieb. decret. de die 6^{to}.

(f) Vide §. 12.

(g) Colliget 4 C. 40.

(h) Ibidem.

Relenſon circa plus quam 10000 hominum inſtitutis aliquando vidit diebus bonis dictis malas, malis vero bonas crifes accidiffe: quod ipſum etiam obſervatum ait ab AVENZOARE, qui vixit annis 135, cœpitque anno ætatis 40^{mo} medicinam facere. Haud ſecius FERRERIUS Tholoſanus apud CLAUDI-
NUM (i) teſtatur ex obſervando in criſimos HIPPOCRATIS dies nec omnes incidere crifes, nec ſemper, ſæpiſſimeque eas diebus non criſimis evenire. Atque ob ſimillimas procul dubio obſervationes factum eſt, ut horum dierum doctrina clariffimorum Clinicorum multi proſus neglexerint; etenim nihil de iis memoriæ prodiderunt ARETAEUS, AURELIANUS, RAMAZZINUS, SYDENHAMUS, SYLVIUS, aliique; FERNELIUS (k) haud multum iisdem tribuit, nec multus ea in re eſt WIL-
LISIUS, GLASS (l) vero ſæpe hanc doctrinam in Anglia fallere notavit: ASCLEPIADES teſte CELSO (m) eam ut vanam rejecit, nec miſius ſenſit PIT-

(i) De dieb. critic. C. 7.

(k) Meth. gener. med. febr. C. 4.

(l) Comment. 3.

(m) L. 3. C. 4.

CARNIUS (n) AC ET TMÜLLERUS (o), & alii. Sed hæ discrepantiæ circa dies criticos non sunt nullæ, nec heri primum nate; sed ab omni retro posteritate ad nos usque perductæ: proinde longa omnis ævi experientia circa varios horum dierum, imo & circa omnes, admodum discrepat.

R. N. m. partem priorem; nam omnes hæ discrepantiæ nihil adversus crifimos COI dies solide evincunt. Quod ad diem 1 & 2 morbi attinet, de eo jam superius (p) dictum est. Quod autem DIOCLES & ARCHIGENES dies prætulerint 21um, 28um diebus 200, 270, non continuo inde eruitur, hebdomades ab illis fuisse disjunctim sumptas; sed cum dies 21 inter impares & 28 inter pares criticos reperiantur (q), potuerunt illi epidemias observasse, in quibus hi dies fuerunt admodum decernentes. Pro sexto autem die quæ adferuntur, nullius sunt momenti; quod enim RIVERIUS vidit, vidit jam HIP-

(n) Elem. med. L. 1. C. 7. §. 3. 4.

(o) Instit. medic. T. 1. P. 3. C. 3.

(p) Vide §. 2.

(q) Vide §. 3. A.

POCRATES (r), & satis patet, recte
 sensisse RIVERIUM, recidivas suorum
 ægrorum infido diei 6^{to} imputantem,
 idque ipso momente cōo. Nec plus
 BALLONIUS vidit, quam COUS in vir-
 gine Larissæa; sed una hirundo non fa-
 cit ver. Quod autem ad GORDONI-
 UM, AVERRHOEM, RHASEN, &
 alios allatos attinet, probandum prius
 PUJATIO erit, omnibus his observa-
 toribus dies criticos supputandi modum
 fuisse per dies naturales, non vero per
 nycthemera artificialia (s): quamdiu
 enim hoc non probatur, omnia illa te-
 stimonia flocci sunt; quia per nycthe-
 mera artificialia, ut PANAROLUS ipse
 monet (t), alii utique dies crifium pro-
 deunt. Et si omnia illa falsa essent, in
 queis Auctores & Observatores discre-
 pant, væ pleuriticis! væ variolosis! væ
 hydropticis! &c.

P. m. (u)

Si omnes hæ discrepantiæ & expe-
 rientia contraria ideo nihil probarent,

(r) Vide §. 12.

(s) Confer. §. 39.

(t) Ibidem & §. 12.

(u) Dissert. citat. §. 12 .p. 201. lqq.

quod priores tantum sint apparentes, in posteriore autem ostendi non possit, supputationem dierum criticorum non per nythemera artificialia sed per dies naturales fuisse institutam; tunc si allati fuerint casus, in quibus supputatio per dies naturales facta est, dies tamen critici iudiciis non responderunt, saltem hi evincent, stabilitatem dierum criticorum ab experientia non esse demonstrabilem. Atqui id genus casus in historia medica exstant: ergo ex his saltem evictum fiet, stabilitatem dierum criticorum ab experientia non esse demonstrabilem.

P. m.

T. WILLISIUS (x) sequentes casus observavit:

I. „ Matrona 5^o die male admodum
 „ habuit: urinae inerant cruditatis si-
 „ gna. Sanguis hac die emissus. Die
 „ 6^o aliquis sudor cum euphoria (en ty-
 „ rannum mitiorem redditum!). Die
 „ 8^{va} urina cum signis coctionis, & su-
 „ dor copiosus a sero lactis, cui ulma-
 „ riae folia incocta, a quo febris feliciter
 „ judicata. Ut quaeso 8^{va} diei sudor

(x) De febribus Cap. 11. p. m. 130. sqq.

„ laborem & morbi longitudinem &
 „ recidivam, ut vult aphorismus (y),
 „ non significavit „?

2. „ Vir die non minus 5^o ac 6^o le-
 „ viter & cum profectu sudavit (tyran-
 „ nus iste fevitiā iterum deponit),
 „ die 7^o sudor copiosior. Deinceps
 „ per 3 dies febris sensim declinabat,
 „ quæ 11^o per copiosiore sudorem ju-
 „ dicata est. Hic quoque videas 6^{ta}
 „ diei sudorem bonum. Videas 7^{mi}
 „ sudorem a 4^o nequaquam indicatum.
 „ Videas perfectam crīsim 11^o die con-
 „ tingentem, quæ indice caruit „.

3. „ In juvene studioso videas omnes
 „ morbi dies æque malos. Nox, quæ
 „ 6um antecessit, a procurato sudore
 „ mitior. Die 9^o, licet natura victas
 „ manus tradidisse videretur, a copio-
 „ so sudore ope Ω c. c. elicitō res ex-
 „ tra periculi aleam statim constitit, abs-
 „ que eo quod judicatio hæc indicata
 „ fuisset „.

4. „ Mulier, quæ nocte diem 10um
 „ secuta obiit, 4^a die sine levamine
 „ sudavit. Septima emori, non 10^{ma}

(y) Sect. 4. aph. 36.

„ aut 11^a, debebat hæc mulier, si do-
 „ &rinam crismorum calluisset,,

5. „ Juvenis eruditus, cujus febris
 „ sanguinis e naribus fluxu die 7^{ma} ju-
 „ dicabatur, 5^o stillicidium habuit. Vel
 „ indicet 5^{us}, ut GALENO (z) aliquan-
 „ do visum, vel judicet, ... ut HIP-
 „ POCRATES (a) aliquando voluit,
 „ mala semper præsignare debuerat,
 „ Tradidit GALENUS (b) stillicidia
 „ omnia difficilia, atqve in mala san-
 „ guinis qualitate mortifera: *si vero*
 „ *tale quidpiam diebus judicatoriis vel*
 „ *indicatoriis contingat, certius præo-*
 „ *stendisse licet*,,.

6. „ Matrona sexagenaria a febre
 „ pleuritica decumbens die 6^o copiose
 „ sudavit, & judicata ad salutem est.
 „ En denuo tyrannum in Regem be-
 „ nignum conversum,,.

7. „ Juvenis robustus a febre pleu-
 „ ritica decumbens post binas sanguinis
 „ emissiones die 4^a stillicidium e nari-
 „ bus habuit. Væ tibi, ut ut robustus
 „ sis, adolescenti; & quia 7^{mi} quartus

(z) De dieb. decret. L. 2. C. 7.

(a) Epidem. L. 1. S. 3.

(b) In prorrh. L. 1. comment. 3. No 56.

„ est index, & quia GALENUS (c)
 „ docuit stillationes 4^o die contingen-
 „ tes *absolutissimam morbi malitiam* si-
 „ gnificare, die 7^o res tuæ sitæ erunt
 „ in acie novaculæ. Huic die eadem
 „ sanguis in exigua quantitate emissus.
 „ Nocte, quæ 6^{um} diem antecessit, a
 „ ōu c. c. & julapio cardiaco sudavit
 „ copiose, felicissimeque ad salutem ju-
 „ dicatus est. Hisce positis, an non
 „ dicendum potius ex libris WILLI-
 „ SIUM atque ex institutionibus, quas
 „ juvenis forte hauserat, quam ab ob-
 „ servatione edoctum, quæ de diebus
 „ criticis scripsit, tradidisse? Sed quis-
 „ piam non inopportune reponet, ple-
 „ rasque ex enunciatis a WILLISIO
 „ crisibus non sponte sed petito factas
 „ fuisse, eoque illiusmodi nequaquam
 „ esse, quæ a vi crismorum regantur?
 „ Ergo ipse concludo, a vi criticorum
 „ independenter artis ope bonæ crises
 „ curari possunt, neque dierum nume-
 „ ri artis operibus obſistunt, cum me-
 „ dicus dierum vim vincere possit. Nul-
 „ la ergo vis crismorum, ubi medicus
 „ operatur „. Et cum in omnibus his-

(c) Ibidem comment. 1.

que casibus dierum criticorum supputatio per dies naturales habeatur, quin tamen dies critici criſibus responderint; patet, ex his ſaltem evinci, ſtabilitatem dierum criticorum ab experientia nullatenus eſſe demonſtrabilem. Verum enim vero

R. D. M. ſeqventes caſus obſervavit hoc modo, quo a PUJATIO (cujus verba data opera hic ſervavimus) referuntur, N. M. alio modo c. M. Nam caſus hos PUJATI dimidiatos dat, omiſſis quæ non placebant, allatis autem, quæ in ejus rem erant, & perperam exaggeratis; quod eo clarius fit, ſi ipſa WILLISII narratio in fonte legatur. Monendus tamen eſt Lector, caſus hos etiam in ipſo fonte tanta cum negligentia clinica eſſe conſignatos, ut ad eruendam circa dies criticos rationem plurima paſſim in iis deſiderentur, ſimulque falſa Auctoris theoria admodum infecti obſcuratiqve ſint. Nihilo tamen minus vel aliqua circa eos annotaſſe ſuffecerit, quæ ad respondendum PUJATIO viſa ſunt neceſſaria. Et quidem qui *primum* caſum in WILLISIO ipſo legerit, continuo videbit, dies morbi perperam fuiſſe numeratos; nam cum matronam veſpere morbus corripuerit, veſper hic ad

hœstem proximi diei pertinet, ut facere HIPPOCRATI solenne fuit, velut in exemplo FRASINI (d) videre est: quo observato sequitur, matronam non die 6^o sed 5^o leviter sudasse cum euphoria, nec 8^{vo} sed 7^o die, crisimo nempe, judicatam fuisse per sudorem. In *secundo* autem casu, qui totus ex *cori* doctrina est, nihil adversatur dierum criticorum veritati; nisi quod de 6^{to} die & indicibus 7^{mi} ac 11^{mi} nugas proferat Adversarius: nam cum 4^{ti} diei Auctor admodum leviter brevibusque meminerit, suspicio est, illum eo die apud ægrum non fuisse, nec excreta illius diei inspexisse; forte quod mane levius habuerit. Et unde PUJATI ostendet ex HIPPOCRATE, debere cujusvis criseos quatrduo ante indicia adesse conspicua? Nam id tantum verum est, affore crisin post aliquot dies, si indicia criseos conspicua se se præbeant, non vero crisin absque his quatrduo ante conspicuis fieri non posse. Quod idem in 3^{to} quoque casu obtinet, in quo etiam sudor, etsi arte motus, die 9^o in sudoribus critico erupit, erupturus forte etiam extra Ω c. c. datum, & minoribus cum

(d) Epidem. L. 1. S. 3. æger 2. p. 984.

turbis. In 4^o casu pulchre arguit P U J A -
 T I, scil. ægra die 4^o sudavit sine levami-
 ne: ergo die 7^o debuisset mori; & cur
 non potius 6^o? Sed aliquid utique eru-
 endum inde fuit contra dies criticos;
 nihil autem præter hoc unum casus ille
 suppeditavit. Sed 5^o in casu stillici-
 dium die 5^o nunquam non damnatum
 quid excusationis admittit? Illud idem
 nempe, quod simile stillicidium admittit
 in METONE apud COUM (e), cui mor-
 bum solvit, postero die largior super-
 veniens hæmorrhagia, eiqve sudor judi-
 catorius: unde si stillicidium serius citius
 larga sequatur hæmorrhagia, illud hanc
 indicaverat affuturam, uti etiam in præ-
 senti casu die 7^{mo} evenit, eventurum
 forte perinde die 5^o, ni pridie V. S.
 facta naturæ conatus interturbasset. Quod
 porro ad sextum casum attinet, negli-
 gentiam ejus historia manifestam arguit,
 ob quam nescitur, primone mox die fe-
 bris adfuerit, vel 2^o primum ægrotatio-
 nis die advenerit; si res ad literam su-
 menda, 2^a morbi die febris occipit: er-
 go 2^a morbi dies est 1^a in febre, cujus
 judicatio hac ratione in 5^{am} diem cadit.

(e) Ibidem æger 7. p. 983.

Potestne contrarium evincere PUJATI?
 Sed ad ultimum casum! Hic quoque stillicidium, hic priores minæ! Hic etiam 6us dies nominatur! Sed omnia, siquid video, perperam. Nam utrum sanguinis 3ij e nare dextra excretæ jure possint tenue stillicidium vocari, multum dubito; quandoquidem tantum „perpu-
 „ sillæ sanguinis e naribus stillæ damno
 „ sunt „ observante COO (f), præsertim cum eadem nocte supervenerit sudor judicatorius, non vero, ut male PUJATI notat, nocte 6um diem præcedente. Unde patet; quid ex omnibus his casibus contra stabilitatem criticorum dierum evinci possit. Eapropter N. m. porro, & Conf.

P. m. penult. per alia exempla.

In ipso HIPPOCRATE exstant casus, in quibus supputatio per dies naturales facta est, quin tamen judicia diebus illius criticis stabilitis responderint: ergo ex his evidenter sequitur, stabilitatem dierum criticorum ab experientia non esse demonstrabilem.

P. A.

Ex casibus ab HIPPOCRATE universim notatis supputatione dierum cri-

ticorum per naturales facta omnes dies naturales deberent esse critici ; quia in iis omnium naturalium dierum exempla habentur, in quos judicia ceciderunt, quæ L. TOZZI (g) collegit : ergo in ipso HIPPOCRATE exstant casus, in quibus supputatio per dies naturales facta est, quoniam tamen judicia stabilitis ab illo diebus criticis responderint.

R. D. A. causalem, nempe... in quos judicia æquali & numero & bonitate inciderunt, C. A.... in quos inæquali & numero & bonitate judicia inciderunt, N. A. & Conf. Nemo enim unquam negavit, non posse in alium ullum diem præter illos stabilitos crises cadere ; „ judicia enim seu crises ipsæ, „ inquit GALENUS (h), omnibus diebus accidunt, sed neque pares numero neque ex æquali fide „ : sed id & HIPPOCRATES & ejus affectus tuentur, observari a natura in crislum negotio certos plerumque dies, quibus illa cum morbo confligens plurimas

(g) Opp. omn. T. 1. P. 1. p. 49. sqq. & GISEKE l. c. p. 166.

(h) De dieb. decret. L. 1. C. 2.

optimasque crises patrare consuevit; atque hos criticos vocare solemus; alios, quæis vel rarissime vel non ita felici successu id suscepisse visa est, a priorum confortio excludimus, quippe quos ipsa etiam natura inde exclusos voluit. Neque nos id ipsum latebat, quod TOZZI notat, neque ipsos Veteres, ut mirum sit, potuisse id huic doctrinæ objici, quod nemo unquam vel somniavit (i).

Unica adhuc superesset objectio diluenda, nimirum etiamsi in Græcia & pro illorum methodo medendi ævo HIPPOCRATIS essent aliquid dies critici, apud nos tamen ob aliud cælum, aliamque ac certiozem medendi methodum locum iis non esse, ac proinde scitu illos esse inutiles. Verum objectio hæc tam est minuta, ut confutatione vix egeat; nam præterquam quod experientia docuerit, sub nostro quoque cælo morbos acutos eodem, quo in Græcia decurrere modo, criticosque dies in iisdem obtinere, qua in re demum præcipua in methodo acutis febribus medendi HIPPOCRATE sumus beatiores? Qui fusius id lectum volet, solide & eleganti calamo scriptum apud GISEKE (k) reperiet.

(i) Vide §. 8. & seq. (k) l. c. p. 189. seq.

T H E S E S.

- G**enuina definitio febris adhuc-
dum desideratur.
2. Febris in solo frequentiori pulsu non consistit.
 3. Febres intermittentes vernaes magis ad naturam inflammatoriam, autumnales ad biliosam accedunt.
 4. Cortex Peruvianus in febribus intermittentibus jam prodesse jam obesse potest.
 5. Bilis acescentibus resistit Boerhave contra Cl. Marherr.
 6. Inflammatio pulmonum ex solo pulsu dignosci non potest.
 7. Potulenta copiosa assumpta in hydrope magis sæpe profunt, quam obsunt.
 8. TR^a Cinnamomi in hæmorrhagia uteri cum fructu exhibetur, simulque ad veros partus dolores conciliandos.
 9. Nulla sunt certa Enteritidis signa.
 10. Dolor lateris punctorius non semper pleuritidem designat.